

Anglo.)

# BERTRA-

## MI PRESBYTERI DE CORPORE ET SANGVINE

Domini Liber ad Carolum ma-  
gnum Imperatorem, iam  
recens æditus.



COLONIAE  
Johannes Prael excudebat, Anno  
M. D. XXXI.

VD16

**S**OBERT RAMI PRE-  
SBYTERI VITA PER IO-  
hannem Trithemium.

**B**ERTRAMVS presbyter & monachus, in diuinis scripturis valde peritus, & in literis secularium disciplinarum egregie doctus: ingenio subtilis, & clarus eloquio, nec minus vita quam doctrina insignis. Scriptis multa præclara opuscula de quibus ad meam notitiam pauca peruererunt. Ad Carolum regem, fratrem Lotharij imperatoris scriptis cōmendabile opus, de prædestinatione li. vnum, de corpore ac sanguine domini librum vnum. Claruit temporibus Lotharij imperatoris. Anno DCCC XL.

COLONIÆ

Typis Universitatis ex officina Joh. Amst.

M D XXXX

SIBER TRAMI PRE-  
SBYTERI DE CORPORE

& sanguine domini Praefatio

ad Carolum magnum

Imperatorem.

Vbes gloriose princeps, ut qd de sanguinis & cor-  
poris Christi mysterio sentiam, vestrae magnificen-  
tiae significem. Imperium quam magnifico vestro  
principatui dignū, tam nostrae prauitatis viribus con-  
stat difficillimum. Quid enim dignius regali proqui-  
denta, q̄ de illius sacris mysteriis catholice sapere, q̄  
sibi regale solium dignatus est, contribuere & subie-  
ctos pati non posse diuersa sentire de corpore Chri-  
sti, in quo constat Christianæ redemptionis summa  
cōsistere. Dum enim quidam fidelium corporis san-  
guinisq̄ Christi, quod in ecclesia quotidie celebra-  
tur, dicant, quod nulla sub figura, nulla sub obuelati-  
one fiat, sed ipsius veritatis nuda manifestatione per-  
agatur, quidam vero testentur quod hæc sub myste-  
rii figura contineantur, & aliud sit quod corporeis  
sensibus appareat, aliud autem quod fides aspiciat,  
nō parua diuersitas inter eos esse dinoscitur. Et cum  
Apostolus fidelibus scribat, ut idem sapiant & idem <sup>1 Cor 12</sup>  
dicant omnes, & scisma nullum inter eos appareat,  
non paruo scismate diuiduntur, qui de mysterio cor-  
poris sanguinisq̄ Christi non eadem sentientes elo-  
quuntur. Quapropter vestra regalis sublimitas zelo  
fidei prouocata non æquanimiter ista perpendens,

P R A E F A T I O.

Secundum Apostoli præceptum cupiens, ut id sentiant & idem dicant omnes, veritatis diligenter inquirit secretum, ut ad eum deuiantes reuocare possit. Vnde non contemnitis etiam ab humilibus huius rei veritatem perquirere, scientes quod tanti secreti mysterium, non nisi diuinitate reuelante possit agnosciri, quæ sine personarum acceptione per quoscunq; delegerit suæ veritatis lumen ostendit. Nostræ vero tenuitati quod sit iucundum vestro parere imperio, tam est arduum super re humanis sensibus remotissima: & nisi ergo sancti sp̄i eruditio nō posse penetrare, disputare,

Subditus igitur vestræ magnitudinis iussioni,  
cōfisus autem ipsius de quo locuturi sumus  
suffragio, quibus potuero verbis, quid  
de hoc sentiam aperire tentabo,  
non proprio fretus ingenio,  
sed sanctorū vestigia patrum prosequē-  
do.

# BERTRA

## MI PRESBYTERI DE

CORPORE ET SANGVINE

Domini Liber ad Carolum magnum Imperatorem  
incipit.



Vod in ecclesia ore fidelium  
sumitur corpus & sanguis  
Christi, quærit vestræ ma-  
gnitudinis excellentia, in my-  
sterio fiat an in veritate: id  
est, vtrum aliquid secreti cō-  
tineat quod oculis fidei so-  
lummodo pateat, an sine cu-  
iuscunq; velatione mysterij

hoc aspectus intueatur corporis exterioris, quod men-  
tis visus inspiciat interius, vt totum quod agitur, in  
manifestatiōis luce clarescat: & vtrq; ipsum corp⁹ sic  
qd de Maria natū est & passum, mortuū & sepultū,  
quodq; resurgens & cœlos ascendens, ad dexterā pa-  
tris cōsiderat: Harum duarum quæstionum primam  
inspiciamus: & ne dubietatis abage detineamur, de-  
finiamus quid sit figura, quid veritas, vt certum ali-  
quid contuentes nouerimus quo rationis iter contē-  
dere debeamus. Figura est obumbratio quædam, q.  
busdam vclaminibus quod intendit ostendens, ver-

## BERTRAM. DE CORP. ET

bi gratia, verbum volentes dicere, panem nuncupamus. Sicut in oratione dominica, panem quotidianum dari nobis expostulamus: vel cum Christus in euag. loquitur **Mat. 6.** dicens: Ego sum panis viuus qui de celo descendit. Vel **Ioh. 6.** cum se ipsum vitam, discipulos autem palmites appellat: Ego sum (diceres) vitis vera, vos autem palmites. Haec enim omnia aliud dicunt, & aliud innuunt. Veritas vero, est rei manifesta demonstratio, nullis umbrarum imaginibus obuelata, sed puris & apertis (vix planius eloquamur) naturalibus significationibus insinuat, ut ipote cum dicitur Christus natus de virgine, passus, crucifixus, mortuus, & sepultus. Nihil enim hic figuris obuelantibus adumbratur, vera rei veritas naturalium significacionibus verborum ostenditur: nec aliud hic licet intelligi quam dicitur. At in superioribus non ita. Nam substantia triplex nec panis Christus, nec vitis Christus, nec palmites apostoli. Quapropter hic figura, superius vero veritas in narratione monstratur. i. nuda & apta significatio. Nunc redeamus ad illa quae causa dicta sunt ista, videlicet corporis & sanguinis Christi. Si enim nulla sub figura mysteriū illud peragit iam mysteriū non rite vocatur. quoniam mysteriū dicere non potest, in quo nihil est abditum, nihil a corporalibus sensibus remotum, nihil aliquo velamine coniectum. At ille panis qui per sacerdotis ministerium Christi corpus efficitur, aliud exterius humanis sensibus ostendit, & aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod ante fuerat, forma praetenditur, color ostenditur, sapor accipitur: Ast interius longe aliud, multoque pretiosius, multoque excellentius intimatur, quia celeste, quia

## SANGVIÑE DOMINI.

id est, Christi corpus ostendit, qd non sensibus carnis sed animi fidelis contutu vel aspicitur, vel accipitur, vel comeditur. Vinū quoq; quod sacerdotali cōsecratione Christi sanguinis efficitur sacramentū, aliud superficie tenus ostendit, aliud interius continet. Quid em̄ aliud in superficie, quam substāria vini cōspicitur? Gusta, vinū sapit: Odora, vinū redolet. Inspice, vini color intuet̄. At interius si cōsideres, iam non liquor vini, sed liquor sanguinis Ch̄ri credentiū mētibus & sapit dum gustatur, & agnoscit dum cōspicitur, & pbatur dū odoratur. Hæc ita esse dum nemo potest abnegare claret: qd panis ille vinumq; figura te Christi corpus & sanguis existit. Non em̄ secundū qd videtur, vel carnis species nullo pane cognoscit, vñ in illo vino cruoris vnda mōstrat cum tñ post mysticam cōsecrationē nec panis iam dicitur nec vinū, sed Christi corpus & sanguis. Nam si fm quosdā figura te nihil hic accipiat, sed totū in veritate cōspiciat nihil hic fides opatur: qm̄ nihil spirituale geritur, sed qcqd illud est, totū secundū corpus accipit. Et cum fides secundū Apostolū sit rē argumentū non apparentiū, i. non earū quæ videntur, sed quæ non videntur substantiar, nihil hic fm fidē accipiemus: qm̄ quicqd existit fm corporis sensus diiudicāmus. Et nihil absurdius, qd panē carnem accipere, & vinū sanguinē dicere. Neciam mysteriū erit, in quo nihil secreti, nihil abditū cōtinebitur: & quomodo iam corpus Christi & sanguis dicitur, in qd nulla pmutatio facta esse cognoscit? Omnis em̄ pmutatio, aut ex eo quod non est, in id qd est efficitur, aut ex eo quod est in id quod non est;

Heb. 10

## BERTRAM. DE CORP. ET

aut ex eo qd est in id quod est . In isto aut sacramēto  
si tantum veritatis in simplicitate cōsideretur , & non  
aliud credatur , q̄ quod aspicitur , nulla permutatio fa-  
cta cognoscitur . Nam nec ex eo quod non erat transi-  
uit in aliquid quod sit , quomodo fit trāitus in rebus  
nascentibus . Siquidem non erant prius , sed vt sint , ex  
non esse ad id quod est esse transitum fecerūt . Hic ve-  
ro panis & vinum prius fuere q̄ transitū in sacramen-  
tum corporis & sanguinis Christi fecerūt . Sed nec ille  
transitus qui fit ex eo quod est esse ad id qd est non es-  
se , qui transitus in rebus per defectū occasum patien-  
tib⁹ existit . Quicquid eīn interit prius subsistēdo fuit ,  
nec interitum pati potest , quod nunquam fuit . Hic  
quoq̄ non iste transitus factus esse cognoscitur : quo-  
niā secundum veritatem species creaturæ quæ fue-  
rat antē permanisse cognoscitur . Item illa permura-  
tio quæ fit ex eo quod est , in eo quod est , quæ perspi-  
citur in rebus qualitatis varietatem patientibus : ver-  
bi gratia , quando quod nigrum fuerat in album de-  
mutatur , nec hic facta esse cognoscitur . Nihil enim  
hic vel tactu , vel colore , vel sapore permutatum esse  
deprehēditur . Si ergo nihil hic est permutatū , non est  
aliud quām ante fuit . Est autē aliud , qm̄ panis cor-  
pus , & vinum sanguis Christi facta sunt . Sic enim ipse  
Matt. 26. dicit : Accipite & comedite , hoc est corpus meum . Si-  
militer & de calice loquens , dicit : Accipite & bibite ,  
hic est sanguis noui testamenti , qui pro vobis funde-  
tur . Quārendum ergo est ab eis , qui nihil hic figurate  
volūt accipere , sed totum in veritatis simplicitate con-  
sistere , secundum quod demutatio facta sit , vt iam

*Ibident.*

## SANGVINE DOMINI.

non sint quod ante fuerūt, videlicet panis atq; vinū, sed sint corpus atque sanguis Christi. Secundum spe-  
ciam nanc̄ creature, formamq; rer̄ visibilium, vtrum  
que hoc, id est, panis & vinum, nihil habent in se per-  
mutatum. Et si nihil permutationis pertulerunt, ni-  
hil aliud existunt quām quod prius fuere. Cernit sub-  
limitas vestra princeps gloriose quo aliter sentientiū  
intellectus euadat: negant quod affirmare credūtur,  
& quod credunt destruere comprobantur. Corpus  
etenim sanguinemq; Christi fideliter confitentur, &  
cum hoc faciunt, non hoc iam esse quod prius fuere  
proculdubio protestantur: & si aliud sunt quām fue-  
re mutationem accepere. Cum hoc negari nō possit,  
dicant secundum quid permutata sunt. Corporali-  
ter nanc̄ nihil in eis cernitur esse permutatum. Fate-  
buntur igitur necesse est aut mutata esse secundum a-  
liud quām secundum corpus, ac per hoc non hoc esse  
quod in veritate videntur, sed aliud quod non esse se-  
cundum existentiam propriā cernuntur. Aut si hoc  
profiteri noluerint, cōpellent̄ negare corpus esse san-  
guinemq; Christi, quod nefas est non solū dicere, ve-  
rum etiam cogitare. At quia confitētur & corpus &  
sanguinem Christi esse, ne hoc esse potuisse nisi facta  
in melius cōmutatione: neq; ista cōmutatio corpora  
liter, sed spūaliter facta sit necesse est, vt iam figurate  
facta esse dicatur, qm̄ sub velamento corporei panis  
corporei q; vini spirituale corpus Christi spiritualisq;  
sanguis existit, non q; durarum sint existentiae rerum  
inter se diuersarum corporis videlicet & spiritus, vere  
vna eademq; res secundum aliud species panis & vini

## BERTRAM DE CORP. ET

consistit, secundū aliud aut̄ corpus & sanguis Christi.  
Secundū namq̄ qd vtrunḡ corporalit̄ cōtingit, speci  
es sunt creature corporeḡ, fm̄ potentia vero qd spūa-  
liter factæ sunt mysteria sunt corporis & sauginis  
Christi. Cōsideremus fontē sacri baptismatis, q̄ fons  
vit̄ non immerito nuncupat: quia descendētes in se  
melioris vit̄ nouitate reformat, & de p̄ctō mortuis  
viuētes iustitiae donat. Num fm̄ q̄ aque cōspicitur eē  
elementū istā potentia obtinet? att̄n̄ nisi sanctificati-  
onis virtutē obtineret labem vitior̄ nequaq̄ diluere  
posset, & nisi vigorē vit̄ cōtineret, nullomō mortuis  
p̄stare vitā valeret: mortuis aut̄ nō carne sed anima.  
In eo tñ̄ fonte si consideretur solummodo quod cor-  
poreus aspicit sensus elementū fluidum conspiciit cor-  
ruptioni subiectum, nec nisi corpora lauandi potentia  
am obtinere. Sed accessit sancti spūs per sacerdotis cō-  
secratiōne virtus, & efficax facta est non solū corpo-  
ra, verū etiam animas diluere, & spirituales fortes spi-  
rituali potentia dimouere. Ecce in uno eodemq̄ ele-  
mento duo videmus inesse sibi resistentia. i. corrupti-  
oni subiacens incorruptionem pr̄stare, & vitā non  
habens vitam contribuere. Cognoscitur ergo in isto  
fonte & inesse quod corpori sensus attrigat, & idcirco  
mutabile atq̄ corruptibile: & rursus inesse quod fides  
sola conspiciat, & ideo nec corrupti posse, nec viri  
discrimen accipere. Si requiras quod superficie tenuis  
lauat, elementum est, si vero perpendas quod interi-  
us purgat, virtus vitalis est, virtus sanctificatiōis, vir-  
tus immortalitatis. Igitur in proprietate humor cor-  
ruptibilis, in mysterio vero virtus sanabilis. Sic itaq̄

## SANGVINE DOMINI.

Christi corpus & sanguis superficie tenuis considerata  
creatura est mutabilitati corruptelegit subiecta. Si my-  
sterij vero pendis virtutem, vita est participantibus se  
tribuens immortalitatē. Non ergo sunt idē quod cernuntur  
corpus pascunt corruptibile, ipsa corruptibilia. Secū-  
dum vero quod creditur, animas pascunt in aeternū  
victuras, ipsa immortalia. Apostolus q̄q̄ scribens Co-  
rinthijs, ait: Nescitis quā patres nostri omnes sub nube  
fuerunt, & omnes mare transferunt, & omnes in Moysē  
baptizati sunt in nube & in mari: & oīs eandē escam  
spirituale manduauerunt, & omnes eundē potum spi-  
ritualem biberunt: bibebant autē de spirituali conse-  
quēti eos petra. Petra autem erat Christus. Animad-  
uertimus & mare baptismi speciem prætulisse & nu-  
bem. Patresq̄ prioris testamenti in eis, id est, in nube,  
sive mari baptizatos esse. Num vel mare secundum  
quod elementum videbatur baptismi potuit habere  
virtutem: vel nubes iuxta quod densioris crassitudi-  
niem aëris ostendebat, populum sanctificare quie-  
rit? Nee tamen Apostolum in Christo locutum au-  
demus dicere quod non vere dixerit, patres nostros  
in nube & in mari esse baptizatos. Et quamuis ba-  
ptismus ille formam baptismatis CHRIS TI, quod  
hodie geritur in ecclesia prætulerit, baptismum ta-  
men extitisse, & in eo patres nostros baptizatos fu-  
isse, nullus negare sanus audebit, nisi verbis Apo-  
stoli contradicere vesanus præsumperit. Igitur &  
mare & nubes, non secundum hoc quod corpus  
extiterant sanctificationis munditiam præbuerent,

1. Cor. 10.

## BERTRAM. DE CORP. ET

verum secundū quod inuisibiliter sancti spiritus san-  
ctificationem continebant. Erat nāc in eis & inuisi-  
bilis forma quę corporeis sensibus appareret, non in  
imagine, sed in veritate: & interius spiritualis poten-  
tia refulgebat, quę non carnis oculis, sed mentis lu-  
minibus appareret. Similiter manna populo de cęlo  
datum & aqua profluens de petra corpora'es exte-  
rant, & corporaliter populum vel pascebant vel po-  
tabant, attamen Apostolus vel illud māna vel illam  
aquam, spiritualem escam & spiritualem potum ap-  
pellat. Cur hoc? qm̄ inerat corporeis illis substaniis  
spiritualis verbi potestas, quę mentes potius quam  
corpora credentium pascere atq; potaret. Et cum ci-  
bus vel potus ille futuri corporis Christi sanguinisq;  
mysterium quod celebrat ecclesia præmōstraret, ean  
dem tamen escam spiritualem manducasse, & eundē  
potū spiritualem bibisse patres nostros sanctus Pau-  
lus asseuerat. Quæris fortasse quam eandem nimirū  
ipsam quam hodie populus credentiū in ecclesia mā-  
ducat & bibit. Non enim licet diuersa intelligi: quo-  
niā vñus idemq; Christus est qui & populum in de-  
serto, in nube, & in mari baptizatum sua carne pavit,  
suo sanguine tunc potauit, & in ecclesia nunc creden-  
tiū populum sui corporis pane, sui sanguinis vnda  
pascit ac potat. Quod volens Apostolus intimare cū  
dixisset, patres nostros eandem escam spirituale man-  
ducasse, eundemq; potum spiritualem bibisse, conse-  
quenter adiecit. Bibebant autem de spirituali conse-  
r. Cor. 10: quenti eos petra. Petra autem erat Christus. Ut intel-  
ligeremus in deserto Ch̄m in spirituali petra consti-

## SANGVINE DOMINI.

risse, & sui sanguinis vndam populo prebuuisse, qui postea corpus de virgine sumptum, & pro salute credentium in cruce suspensum nostris seculis exhibuit, & ex eo sanguinis vndā effudit, quo non solum redimeremur, verū etiam potaremur. Mir certe, qm̄ in comprehendibile & inestimabile nondū hominē assūm pserat, nondū pro salute mudi mortē degustauerat, nondum sanguine suo nos redemerat, & iam nr̄i patres in deserto per escām spiritualē potumq; inuisibilem eius corpus māducabant & eius sanguinē bibe bāt, velut testis existat Apostolus clamās: Eandē es cam spiritualē māducasse, cundem potū spiritualem bibisse patres nostros. Non istic ratio qua fieri potue rit disquirenda, sed fides quid factum sit adhibenda. Ipse nanḡ qui nunc in ecclesia omnipotenti virtute panem & vinum in sui corporis carnē, & proprij crucis vndam spiritualiter conuertit, ipse tunc quoque manna de cælo datum corpus suum, & aquā de petra profusam proprium sanguinem inuisibiliter operatus est. Quod intelligens David in spiritu sancto protestatus est. Panem inquinans angelos māducavit ho Psal. 73. Ridiculum nanḡ est opinari q; manna corporeum patribus datum cælestem pascat exercitum, aut tali vescantur edulio qui diuini verbī saginantur epulis. Ostendit certe Psalmista, vel magis spiritus sanctus loquēs in psalmista, vel quid patres nostri in illo manna cælesti perceperunt, vel quid fideles in mysterio corporis Christi credere debeant. In vtricq; Christus certe innuitur, qui & credentium animas pascit, & angelorum cibis existit. Vtricq; hoc incorporeō gustu

## BERTRAM. DE CORP. ET.

nec corporali sagina, sed spiritualis verbi virtute. Et euāgelista narrāte cognouimus quod dñs Iesu Chr̄  
stus priusq; pateretur, accepto pane gratias egit, & de  
dit discipulis suis dicēs: Hoc est corpus meū qd, p vobis  
datur, hoc facite in meā commemorationē. Simili-  
ter & calicē, postq; cœnauit dicens: Hic est calix nouū  
testamentū in sanguine meo, qui p vobis funderur.  
Videmus nondū passum esse Christū etiam tū sui cor-  
poris & sanguinis mysteriū operatū fuisse. Non em̄  
putamus ullum fideliū dubitare panē illū fuisse Chri-  
sti corpus effectū quod discipulis donans dicit: Hoc  
est corpus meū, qd pro vobis datur. Sed neq; calicem  
dubitare sanguinē Christi cōrinere, de q idem ait: Hic  
est calix nouū testamentū in sanguine meo, qui p vobis  
funderur. Sicut ergo paulo anteq; pateretur panis  
substantiam & vini creaturam conuertere potuit in  
proprium corpus quod passiū erat: & in suum san-  
guinem qui post fundendus extabat, sic etiam in de-  
serto manna & aquam de petra in suam carnē & san-  
guinem conuertere præualuit, quamuis longe post  
& caro illius in cruce pro nobis pendenda, & sanguis  
eius in ablutionem nostrā fundendus superabat. Hic  
etia considerare debemus, quemadmodū sit accipien-  
dum quod ipse dicit: Nisi māducaueritis carnem filij  
hominis & sanguinē eius biberit, non habebitis vitā  
in vobis. Non enim dicit q; caro ipsius quæ pendit in  
cruce particulatim concidēda foret & à discipulis mā  
ducanda: vel sanguis ipsius quem fusurus erat pro  
mundi redēptione, discipulis dandus esset in po-  
tum. Hoc enim scelus esset si secundū quod infideles

Matt. 26,

John. 6.

## SANGVINE DOMINI.

Tunc acceperūt à discipulis vel sanguis eius biberetur  
vel caro comedetur. Propter quod in consequenti-  
bus ait discipulis, nō infideliter, sed fideliter verba Chri-  
sti suscipientibus: nec tamen adhuc quō illa verba fo-  
rent intelligenda penetrantibus: Hoc vos scandali-  
zat (inquiens). Si ergo videritis filium hominis ascen-  
denter ubi erat prius: tanque diceret. Non ergo carnē  
meam vel sanguinem meum vobis corporaliter co-  
medendam, vel bibendum per partes distributum dis-  
tribuendum putetis, cum post resurrectionem visu-  
ris sitis me cælos ascensurum cum integri coporis siue  
sanguinis mei plenitudine. Tunc intelligetis quod  
non sicut infideles arbitrantur, carnem meam à cre-  
dentibus comedendam, sed vere per mysterium, pa-  
nem & vinum in corporis & sanguinis mei conuer-  
sam substantiam à credentibus sumendam. Et conse-  
quenter. Spiritus est (inquit) qui viuificat, caro nō p-  
dest quicque. Carnem dicit quicque non pdesse illo mo-  
do, sicut infideles intelligebant, alioquin vitam præ-  
bet, sicut à fidelibus per mysterium sumitur. Et hoc  
quare, ipse manifestat, cum dicit: Spiritus est qui viu-  
ificat. In hoc itaque mysterio corporis & sanguinis spi-  
ritualis est operatio, quæ vitam præstat, sine cuius o-  
peratione mysteria illa nihil prosunt. Qm̄ corpus qui-  
dem pascere possunt, sed animā pascere non possunt.  
Hic iam suboritur quæstio, quam plurimi proponē-  
tes loquuntur non in figura, seu in veritate ista fie-  
ri. Quod dicentes, sanctorum scriptis patrum con-  
traire comprobantur. Sanctus Augustinus doctor  
ecclesiæ præcius in lib. de doctrina Christianæ tertio

## BERTRAM. DE CORP. ET

Ioh 6. taliter scribit. Nisi māducaueritis (inquit saluator) carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Facinus vel flagitiū videtur iubere. Figura ergo est p̄cipiens passioni dñi esse cōmunicādum, & suauiter atq; vtiliter recōdendum in memoria quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Cernim⁹ qđ doctor iste mysteria corporis & sanguinis Ch̄fi, sub figura dicit à fidelibus celebrari: nā carnem illius sanguinemq; eius sumere carnaliter, nō religionis dicit esse, sed facinoris. De quibus fuerant illi, qui in euangelio dicta domini non spiritualiter, sed carnaliter intelligentes recesserunt ab eo, & iam cum illo nō ibant. Item in epistola ad Bonifacium episcopum scribens inter reliqua sic ait: Nempe sāpe ita loquimur, vt Pascha propinquante dicamus: crastinam vel perendinam domini passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempe ipso die dominico dicimus: hodie dominus resurrexit, cum ex quo resurrexerit, tot anni transferint. Cur nemo tam ineptus est, vt nos ita loquentes arguat esse mētitos, nisi quia istos dies secundum illorū, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus: vt dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed reuolutione temporis similis eius, & dicat illo die fieri, propter sacramēti celebrationem, quod non illo die, sed iam olim factum sit. Nonne semel immolatus est Christus in seipso? & tamen in sacramento non solum per omnes Paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur. Hæc utiq; mentitur qui interrogatus, eum responderit immolari. Si enim sa-

*ibidem*

## SANGVINE DOMINI.

eramenta quandam similitudinem rerum earum, quārum sacramenta sunt, non haberet, omnino sacramēta non essent. Ex hac ipsa similitudine plerūq; iam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum sacramētum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fidei fides est. Ceterū nimis quod sanctus Augustinus aliud dicit sacramēta, & aliud res, quarum sunt sacramenta. Corpus autem in quo passus est Christus, & sanguis eius de latere qui fluxit, res sunt. Harum vero rerum mysteria dicit esse sacramenta corporis & sanguinis Christi, quae celebrantur ob memoriam dominicæ passionis, non solum per omnes Paschæ solennitates singulis annis, verum singulis in anno diebus. Et cum unum sit corpus dominicum in quo semel passus est, & unus sanguis qui pro salute mundi fusus est, attamen sacramēta ipsarum rerum vocabula sumpserunt, ut dicantur corpus & sanguis Christi, cum propter similitudinem rerum quas innuunt sic appellantur, sicut Pascha & resurrectio domini vocantur, quæ per singulos annos celebrantur, cum semel in seipso passus sit, & surrexit. Nec dies illi iam possunt reuocari, quoniam præterierunt. Appellantur autem illorum vocabulo dies, quibus memoria dominicæ passionis siue resurrectionis cōmemoratur, idcirco q; similitudinem illorum habeat dies, quibus saluator semel passus est & surrexit. Vnde dicimus, hodie vel cras vel per diem dominii paschæ est vel resurrectio, cum dies illi quibus hæc gesta sunt multis iam annis præterierunt. Sic

## BERTRAM DE CORP. ET

etiam dicamus dominū immolari, quando passionis eius sacramenta celebrātur, cum semel pro salute mūdi sit immolatus in semetipso, sicut Apostolus ait:

**I. Pet. 2.** Christus passus est pro nobis, ut obis relinquēs exemplum, ut sequamini vestigia eius. Non em̄ ait, quod q̄tidie in seipso patiatur, quod semel fecit. Exemplum autem nob̄is reliquit, quod in mysterio dominici corporis & sanguinis q̄tidie credentibus p̄sentatur, ut q̄s quis ad illud acceſſerit, nouerit se passionibus eius sciari debere, quarum imaginē in sacris mysteriis p̄stolatur, iuxta illud sapientiæ: Accessisti ad mensam potentis, diligēter attende quæ tibi sunt apposita, sciens quia talia te oportet p̄parare. Accedere ad mēsam potentis, est diuini participē libaminis fieri. Consideratio vero appositorū, dominici corporis & sanguinis est intelligētia. Quibus quisquis participat ad uertat se talia debere p̄parare, ut eius imitator existat commoriendo, cuius memoriam mortis non solum credendo, verum etiam gustando confitetur.

**Pro. 23.** Item beatus Paulus ad Hebreos: Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus: q̄ non habet necessitatem quemadmodum sacerdotes quotidie hostias offerre, prius pro suis delictis, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se offerendo dominus Iesus Christus. Quod semel fecit, nunc quotidianie frequentat. Semel enim pro peccatis populi se obtulit, celebratur tamen hæc eadem oblatio singularis per fideles diebus, sed in mysterio, ut quod dominus Iesus Christus semel se offerens adimpleuit, hoc

**Heb. 7.**

## SANGVINE DOMINI.

In eius passionis memoriā quotidie geratur per my-  
steriorum celebrationem. Nec tamen falso dicitur q  
in mysteriis illis domin⁹ vel immoletur vel patiatur:  
quoniam illius mortis atq; passionis habent similitu-  
dinem, quarum existunt representationes. Vnde do-  
minicum corpus & sanguis dominicus appellantur:  
quoniam eius sumunt appellationem, cuius existunt  
sacramentum. Hinc beatus Isidorus in libris Etymo-  
logiarum sic ait: Sacrificium dictum, quasi sacrum  
factum: quia prece mystica consecratur, in memori-  
am dominicæ passionis. Vnde hoc eo iubente cor-  
pus Christi & sanguinem dicimus, quod dum sit ex  
fructibus terræ sanctificatur, & sit sacramentum, o-  
perante inuisibiliter spiritu dei. Cuius panis & calicis  
sacramentum, Græci ἐνχειρίσαι dicunt, quod latine  
bona gratia interpretatur. Et quid melius sanguine  
& corpore Christi panis vero & vinum, ideo corpo-  
ri & sanguini dñi comparantur, quia sicut visibilis hu-  
ius panis viniq; substātia exteriorē nutrit & inebriat  
hominē, ita verbū dei q̄ est panis viuus, participatiōe  
sui, fideliū recreat m̄ties. Et iste doct̄or catholicus fa-  
ctū illud dominicę passiōis mysteriū doce t agendū in  
memoriā p nobis dñicæ passionis. Hoc dicēs, oñdit  
dominicā passionē semel esse factā, eius vero memo-  
riam in sacris solennibus rep̄sentari. Vñ & panis qui  
offertur, ex fructibus terræ cū sit assumptus, in Christi  
corp⁹ dū sanctificatur trāspōnitur, sicut & vinū cum  
ex vite defluxerit, diuini tñ sanctificatiōe mysteriū effi-  
cīt sanguis Ch̄ri, nō quidē visibilit̄, sed (sic ut p̄sens  
doctor) operāte, inuisibilter spū sētō. Vñ & sanguis

## BERTRAM. DE CORP. ET

¶ corpus Christi dicuntur: quia non quod exterius  
videntur, sed quod interius diuino spiritu operante fa-  
cta sunt, accipiuntur. Et quia longe aliud per poten-  
tiam inuisibilem existunt, quam visibiliter appareat,  
discernit dum dicit panem & vinum ideo corpori  
& sanguini domini comparari: quia sicut visibilis pa-  
nis & vini substātia exteriore nutrit & inebriat ho-  
minem, ita verbum dei, qui est panis viuus, participa-  
tione sui, fidelium recreat mentes. Ista dicendo planis  
sime confitetur, quod in sacramento corporis & san-  
guinis domini, quicquid exterius sumitur, ad corpo-  
ris refectionem aptatur. Verbum autē dei, qui est pa-  
nis inuisibilis, inuisibiliter in illo existens sacramēto  
inuisibiliter participatione sui, fidelium mentes viuifi-  
cando pascit. Hinc etiam idem doctor dicit. Sacramē-  
tum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita sit, ut  
aliquid significare intelligatur, quod sancte accipien-  
dum est: hæc dicendo ostendit omne sacramentum  
in diuinis rebus aliquid secreti continere, & aliud esse  
quod visibiliter appareat, aliud vero quod inuisibili-  
ter sit accipēdum. Quæ sunt autem sacramenta fide-  
libus celebranda, consequenter ostendens ait: Sun-  
t autem sacramenta, baptismus & chrisma, corpus &  
sanguis. Quæ ob id sacramenta dicuntur, quia sub te-  
gumento corporalium rerum, virtus diuina secretius  
salutem corundem sacramentorum operatur. Un-  
de & à secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicun-  
tur. & in sequētibus ait: Græce μυστήριον dicitur, quod  
secretam & reconditam habeat dispositionem. Quid  
istinc perdoceatur, nisi q̄ corpus & sanguis dñi pro-

## SANGVINE DOMINI.

Præterea mysteria dicuntur, q; secretam & reconditam  
habeant dispositionem: id est aliud sint quod exterius  
inveniuntur: & aliud quod interius inuisibiliter operentur.  
Hinc etiā & sacramēta vicitur: q; tegumento corporalium rerum virtū diuina secretius salutē accipiētum  
fideliter dispēsat. Ex his omnibus q; sunt hactenus dicta, mōstratū est, qd corpus & sanguis Christi, q; fide-  
lium ore in ecclesia percipiuntur, figuræ sint secundū  
speciem visibilem. At vero secundū inuisibilem sub-  
stantiam, id est, diuini potentiam verbi, corpus & san-  
guis vere Christi existunt. Vnde secundum visibilem  
creaturam corpus pascunt, iuxta vero potētioris vir-  
tutem substantiæ mentes fidelium & pascunt & san-  
ctificant. Iam nūc secundæ questionis propositum  
est inspiciendum, & videndum utrum ipsum corpus  
quod de Maria natum est & passum, mortuum & se-  
pultum, quodq; ad dexteram patris consideat, sit qd  
ore fidelium per sacramentorum mysterium in ecclē-  
sia quotidie sumitur. Percontemur quid ex hoc san-  
ctus Ambrosius sentiat. Ait namq; in primo sacramē-  
torum libro: Reuera mirabile est q; manna deus plu-  
eret patribus, & quotidiano cœli pascebantur alimen-  
to. Vnde dictum est. Panem angelorum māducauit  
homo. Sed tamen panem illum qui manducauerunt  
omnes in dēserto mortui sunt. Ista autem esca quam  
accipis, iste panis viuus qui descendit de cœlo, vitæ æ-  
ternæ substantiam subministrat: & quicunque hunc  
manducauerit, non morietur in æternum, & corpus  
Christi est. Vide secundum quod doctor iste corpus  
Christi dicat esse escam, quam fideles accipiunt in ec-

Psal. 78.

## BERTRAM. DE CORP. ET

clesia. Ait nanq; Iste panis viuus qui de cælo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat. Num sequendum hoc quod videtur, quod corporaliter sumitur, quod dente premitur, quod fauce glutitur, quod receptaculo ventris suscipitur, æternæ vita substantiam subministrat? isto nanq; modo, carnem pascit moritaram, nec aliquam subministrat incorruptionem, neq; dici vere potest, ut quicunq; hunc manducauerit nō morietur in æternum. Ethoc em quod sumit corpus, corruptibile est, nec ipsi corpori potest præstare ne moriatur in æternū: quoniam quod corruptioni subiacet, æternitatē præstare non valet. Est ergo in illo pane vita, quæ non oculis appetit corporeis, sed fidei contineat aspectu. Qui etiam panis viuus, qui descendit de cælo, existit: & de quo vere dicitur: quicunq; hunc manducauerit non morietur in æternum: & qui est corpus domini. Item in consequentibus, cū de omnipotente virtute Christi loquereatur, sic ait: Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erat. Non enim maius est nouas res dare, quam mutare naturas. Dicit sanctus Ambrosius, in illo mysterio sanguinis & corporis Christi cōmutationē esse factā, & mirabiliter, quia diuinē: & ineffabiliter, quia incomprehensibile. Dicant qui nihil hic volunt fecundum interius latērem virtutē accipere, sed totum qd appetat visibilitē estimare, secundū quid sit hic cōmutatio facta. Nam secundum creaturarum substantiā, quod fuerint ante consecrationem, hoc & postea cōsistunt. Panis & vinum prius extitere, in qua etiam

## SANGVINE DOMINI.

specie iam consecrata, permanere videntur. Est ergo interius commutatum spiritus sancti potentivir  
tute, quod fides aspicit, animam pascit, æternæ vitæ  
substantiam subministrat. Item in consequentibus:  
Quid hic queris naturę ordinē in Christi corpore, cū  
per naturā sit ipse dominus deus natus ex virginē?  
Hic etiam surgit auditor & dicit, corpus esse Christi  
quod cernitur, & sanguinem qui bibitur: nec quæ-  
rendum quomodo factum sit, sed tenendum, quod  
sic factum sit. Bene quidem sentire videris, sed si  
vim verborum diligenter inspexeris, corpus Christi  
quidem sanguinemq; fideliter credis, sed si perspi-  
ceres quia quod credis, nondum vides. Nam si vide-  
res, diceres video, non diceres credo corpus sanguini-  
nemq; esse Christi. Nunc autem quia fides totum qe  
quid illud totum est aspicit, & oculus carnis nihil ap-  
prehēdit, intelliget quod non in specie, sed in virtute  
corpus & sanguis CHRISTI existant quæ cernun-  
tur. Vnde dicit ordinem naturæ non hic intuendū,  
sed Christi potentiam venerandam. Quæ quicquid  
vult quomodo vult, in quodcūq; vult, & creat quod  
non erat, & creatum permutat in id, quod antea non  
fuerat. Subiungit idem autor. Vera vtq; caro Chri-  
sti quæ crucifixa est, quæ sepulta est, vere ergo car-  
nis illius sacramentum est. Ipse clamat dominus IESVS: hoc est corpus meus. Quām diligenter, quām  
prudenter facta distinctio! De carne CHRISTI quæ  
crucifixa est, quæ sepulta est, idem, secundum quam  
Christus & crucifixus est, & sepultus, ait, vera itaque  
caro CHRISTI. At de illa quæ sumitur in sacramento

## BERTRAM. DE CORP. ET

dicit: Vere ergo carnis illius sacramentum est, distinguens sacramentum carnis à veritate carnis, quatinus in veritate carnis, quam sumpferat de virginē, diceret eum & crucifixum & sepultum. Quod vero nunc agitur in ecclesia mysterium, verē illius carnis in qua crucifixus est, diceret esse sacramentum: patenter fideles instituens, quod illa caro secundum quam & crucifixus est Christus & sepultus, non sit mysterium sed veritas naturae. Hæc vero caro quæ nunc similitudinem illius in mysterio continet, non sit specie caro sed sacramento. Siquidem in specie panis est, in sacramento verum Christi corpus, sicut ipse clamat dominus Iesus:

<sup>6</sup>Matt. 26 Hoc est corpus meum. Item in consequētibus. Quid comedamus, quid bibamus, alibi tibi per prophetam

<sup>8</sup>Psal. 33 spiritus sanctus expressit, dices. Gustate & videte quoniam suavis est dominus, beatus vir qui sperat in eo. Num corporaliter gustat<sup>9</sup> ille panis aut illud vinum bibitum, ostēdit quoniam sit suavis dominus? Quicquid enim sapit corporale est, & fauces delectat. Nunquid dominū gustare, corporeum est aliquid sentire? Inuitat ergo spiritualis gustus saporem experiri, & in illo potu vel pane nihil corporaliter opinari, sed totum spiritualiter sentire: quoniam dominus spiritus est, & beatus vir qui sperat in eo. Item consequenter. In illo sacramento Christus est: quia corpus Christi est. Nō ergo corporalis esca, sed spiritualis est. Quid apertius quid manifestius, quid diuinius? Ait enim. In illo sacramento Christus est. Non enim ait, ille panis & illud vinum Christus est, quod si diceret, Christum corruptibilem (quod absit) & mortalitati subiectum p̄dā

## SANGVINE DOMINI

**caret.** Quicquid enim in illa escavel cernit vel gustatur corporaliter, corruptibilitati constat obnoxium esse. Addit, quia corpus Christi est. Insurgis & dicis. Ecce manifeste illum panem, & illum potum corpus esse Christi confitetur. Sed attende quemadmodum subiungitur. Non ergo corporalis esca, sed spiritualis est. Non igitur sensum carnis adhibeas. Nihil enim secundum eum hic decernitur. Est quidem corpus Christi, sed non corporale, sed spirituale. Est sanguis Christi, sed non corporalis, sed spiritualis. Nihil igitur hic corporaliter, sed spiritualiter sentiendum. Corpus Christi est, sed non corporaliter, & sanguis Christi est, sed non corporaliter. Item consequenter: Vnde & Apostolus (inquit) de typo eius ait: Quia patres nostri escam spiritualem manduauerunt, & potum spiritualem biberunt. Corpus enim dei corpus spirituale est, corpus Christi corpus diuini est spiritus: quia spiritus, Christus est, ut legimus in Threnis: Spiritus ante faciem nostram Christus dominus: Luculentissime sanguinis & corporis Christi mysterium, quemadmodum debeamus intelligere, docuit. Cum enim dixisset patres nostros escam spiritualem manducasse, & potum spiritualem bibisse, cum tamen manu illud quod comederunt, & aquam quam biberunt corpore a fuisse nemo est qui dubitet: adiungit de mysterio quod in ecclesia nunc agitur, definiens secundum quid corpus sit Christi. Corpus enim dei (inquietus) corporis est spirituale. Deus utsiq; Christus, & corpus quod sumpsit de Maria virgine, quod passum, quod sepultum est, quod resurrexit, corpus utiq; verum fuit, idem quod visibili-

2. Cor. 10.

Threnos 4

## BERTRAM. DE CORP. ET

le. atquē palpabile manebat. At vero corpus quod mysterium dei dicitur, non est corporale sed spirituale. Quod si spirituale, iam non visibile neque palpabile. Hinc beatus Ambrosius subiungit. Corpus inquisiens Christi, corpus est diuini spiritus. Diuinus autem spiritus, nihil corporeum, nihil corruptibile, nihil palpabile quod sit existit. At hoc corpus quod in ecclesia celebratur, secundum visibilem speciem & corruptibile est & palpabile. Quomodo ergo diuini spiritus corpus esse dicitur? Secundum hoc utiqꝫ sp̄ituale est. i. secundum quod inuisibile cōsistit, & impalpabile ac p̄ hoc incorruptibile. Hinc in cōsequētibus. Quia

Threno 4 sp̄us Ch̄s, vt legim⁹. Sp̄us ante faciē nřam Ch̄s dñs. Patent ostendit secundū qđ habeatur corpus Ch̄i, vi deliceret sed m̄ id qđ sit in eo sp̄us Ch̄i id ē diuini potētia verbi, que non solū animā pascit, vere etiā purgat. Prop̄ qđ ip̄e dicit author cōsequēt. Deniqꝫ cor nřm esca ista cōfirmat, & potus iste lētificat cor hoīs, vt p̄ pheta cōmemorauit. Nū esca corporalis cor hoīs cōfirmat, & pot⁹ corporeus lētificat cor hoīs. Sed vt oñderet q̄ esca, vel qui potus sint de quibus loquitur, addidit signanter, esca ista, vel potus iste. Quæ ista vel q̄ iste? Corpus nimirum Christi, corpus diuini spiritus, & (vt apertius inculceretur) spiritus Christus, de q̄ legit: Sp̄us ante faciē nostrā Christus dñs. Quibus omnib⁹ euidenter oñditur, nihil in esca ista, nihil in potu isto corporaliter sentiendū, sed totū spiritualiter attendēdū. Non em̄ anima quæ corde hominis p̄sentiloco significat, vel esca corporea, vel potu corporeo pascit, sed verbo dei nutritur ac vegetatur. Qđ apertius in-

## SANGVINE DOMINI.

libro. 5. sacramentorum doctor idē affirmat. Nō iste pa-  
nis est inquiens qui vadit in corpus, sed ille panis vi-  
tæ æternæ, qui animæ nostræ substancialiā subministrat. Et  
quia nō de cōmuni pane dixerit hoc sanctus Ambro-  
sius, verū de pane corporis Christi, sequētia lectionis  
manifestissime declarant. Loquitur eī de pane quo-  
tidiano, quē credētes sibi postulār̄ dari, & idcirco sub-  
iungit: Si quotidianus est panis, cur post annū illum  
sumis, quēadmodū Græci in oriente consuerunt? Ac  
cipe ergo quotidie quod quotidie tibi pro sit, sic viue  
vt quotidie merearis accipere. Ergo manifestū de q̄  
pane loquitur: de pane videlicet corporis Christi, qui  
non ex eo quod vadit in corpus, sed ex eo quod pa-  
nis sit vitæ æternæ, animæ nostræ substancialiā fulcit.  
Huius doctissimi viri autoritate perdoce m̄ur, quod  
multa differētia separant corpus in q̄ passus est Chri-  
stus, & sanguis quem pendens in cruce de latere suo  
profudit, & hoc corpus quod in mysterio passionis  
**CHRISTI** quotidie à fidelibus celebratur, & ille quo  
que sanguis qui fideliū ore sumitur, mysterium sit  
illius sanguinis quo totus redemptus est mundus.  
Iste nanque panis & iste potus non secundū quod vi-  
dentur, corpus siue sanguis existunt Christi, sed secun-  
dum quod spiritualiter vitæ substancialiā subministrat.  
Illud vero corpus in quo semel passus ē Chrs, nō aliud  
speciem preferebat q̄ in qua cōsistebat. Hoc eī erat  
vere quod videbatur, quod tangebāt, quod crucifige-  
batur, quod sepeliebatur. Similiter sanguis illius de la-  
tere manans, non aliud apparebat exterius, & aliud  
interi⁹ obuelabat. Verus itaq̄ sanguis de vero corpe

## BERTARM. DE CORP. ET

profuebat, ast nunc sanguis Christi quem credentes  
ebibunt, & corpus quod comedunt, aliud sunt in spe-  
cie, & aliud in significacione. Aliud quod pascunt cor-  
pus esca corporea, & aliud quod saginant mentes æ-  
ternæ viræ substantia. De qua re Beatus Hierony-  
mus in commentario epistolæ Pauli ad Ephesios ita  
scribit: Dupliciter sanguis Christi & caro intelligi-  
tur: Velspiritualis illa atq; diuina de qua ipse dicit:

Loh. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est po-  
tus: vel caro quæ crucifixæ est, & sanguis qui militis  
effusus est lancea. Non parua doctor iste differentia  
corporis & sanguinis Christi fecit distinctionē. Nan-  
que dum carnem vél fanguinem quæ quotidie sumū  
tur à fidelibus spiritualia dicit esse (at vero caro quæ  
crucifixæ est & sanguis qui militis effusus est lancea,  
non spiritualia esse dicuntur neq; diuina) patēter insi-  
nuat quod rātum inter se differunt, quātum differunt  
spiritualia & corporalia, visibilia & inuisibilia, diuina  
atq; humana, & quōd à se differunt, non idem sunt.  
Differunt autem caro spiritualis quæ fidelium ore su-  
mitur, & sanguis spiritualis, qui quotidie credentibus  
potādus exhibet, à carne q; crucifixæ est & sanguine q;  
militis effusus est lancea, sicut autoritas presentis vi-  
tri testificat. Non idē igit̄ sunt. Illa namq; caro quæ cru-  
cifixæ est, de virginis carne facta est, ossibus & nervis  
compacta, & humantorum membrorum liniamen-  
tis distincta, rationalis animæ spiritu vivificata in pa-  
riam vitam, & congruentes motus. Atvero ca-  
ro spiritualis quæ populū credentetti sp̄italiter pascit  
secundū speciem quam gerit exterius frumenti granis

## SANGVINE DOMINI.

manu artificis consistit, nullis neruis ossibusq; cōpācta, nulla membrorū varierate distincta, nulla rationali substātia vegetata, nulos proprios potēs motū exercere. Quicquidē in ea vītē præbet substantiam spiritualis est potentiae, & inuisibilis efficientiae diuinęq; virtutis. Atq; aliud longe cōsistit secūdum quod exterius conspicitur, atq; aliud secūdum quod in mysterio creditur. Porro caro Christi quæ crucifixā est, nō aliud exterius q; quod interius erat, ostēdebat: q; a vera caro veri hominis existebat, corpus vtiq; verū in veri corporis specie consistēs: Considerandū quoque q; in pane illo non solum corpus Christi, verum corpus etiam in eum credentis populi figuretur, vnde multis frumenti granis conficitur: quia corpus populi credentis multis per verbum Christi fidelibus augmentatur. Qua de re sicut mysterio panis ille Christi corpus accipitur, sic etiam in mysterio mēbra populi credentis in Christū intimātur. Et sicut non corporaliter, sed spiritualiter panis ille credentium corpus dicitur, sic quoq; Christi corpus nō corporaliter, sed spiritualiter necesse est intelligatur. Sic & in vīno qui sanguis Christi dicitur, aqua misceri iubetur, nec vīnum sine altero permittitur offerri. Quia nec populus sine Christo, nec Christus sine populo, sicut nec capsula sine corpore, vel corpus sine capite valet existere. Aqua deniq; in illo sacramento, populi gestat imaginem. Igitur si vīnum illud sanctificatum per ministrorū officium in Christi sanguinē corporaliter convertitur, aqua quoq; que pariter admixta ē, in sanguinem populi credentis necesse est corporaliter conuer-

## BERTRAM. DE CORP. ET

tatur. Vbi nangvna sanctificatio est, vna consequenter operatio, & vbi parratio, par quoq; cōsequitur mysterium. At videamus in aqua secundum corpus nihil esse conuersum, consequenter ergo & in vino nihil corporaliter ostensum. Accipitur spiritualiter quicquid in aqua de populi corpore significatur. Accipiat ergo necesse est spiritualiter, quicquid in vi-  
no de CHRISTI sanguine intimatur. Item: Quæ  
à se differunt, idem non sunt. Corpus Christi quod  
mortuum est & resurrexit & immortale factum,  
iam non moritur, & mors illivtra non dominabitur, æternum est, nec iam passibile. Hoc autem quod  
in ecclesia celebratur temporale est non æternum,  
corruptibile est, non incorruptum, in via est, non in  
patria. Differunt igitur à se, quapropter non sunt  
idem, quod si non sunt idem, quomodo verum cor-  
pus CHRISTI dicitur, & verus sanguis? Si enim  
corpus Christi est, & hoc dicitur vere: quia corpus  
Christi est, in veritate corpus Christi est: & si in veri-  
tate corpus Christi est, & corpus Christi incorrupti-  
ble est, & impassibile est ac per hoc æternum. Hoc  
igitur corpus Christi quod agitur in ecclesia, necesse  
est ut incorruptibile sit & æternum. Sed negari non  
potest corrupti quod per partes commutarum dis-  
partitur ad sumendum, & dentibus commolitum  
in corpus traicitur. Sed aliud est quod exterius ger-  
tur, aliud vero quod per fidem creditur. Ad sensum  
quod pertinet corporis corruptibile est, quod fi-  
des vero credit, incorruptibile. Exterius igitur quod  
apparet non est ipsa res sed imago rei, mente vero

## SANGVINE DOMINI.

Quod sentitur & intelligitur veritas rei. Hinc Beatus Augustinus in euangelium Iohannis expositio-ne dum de corpore C H R I S T I loqueretur & sanguine sic ait : Manducauit & Moyses manna, manducauit & Aaron, manducauit & Phinees, mā duauerunt ibi multi qui Deo placuerunt & mor-tui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritu-aliter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritua-liter gustauerunt, ut spiritualiter satiarentur. Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum, sed aliud est sacramētum, aliud virtus sacramenti. Item in posterioribus. Hic est panis qui de cælo descendit. Hunc panem significauit manna, hunc panem signifi-cauit altare dei. Sacra menta illa fuerunt, in signis diuersa sunt, in re quæ significatur paria sunt. Apo-stolum Paulum audi: Nolo vos ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierūt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eādem escam spirituale māduauerunt, & oēs eundē potū spiritualē biberūt. Spiritualē utiqz eandem, nam corporalem alteram. Quia illi manna, nos aliud. Spiritualē vero quam nos. Et adiungit: Et omnes eundem potum spiri-tualē biberunt. Aliud illi, aliud nos, sed specie vi-sibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spiri-tuali. Quomodo enim eundem potum? Bibeant inquit de spirituali sequenti petra. Petra autem erat Christus. Inde panis, vnde potus. Petra Christus in si-gnum, verus Christus in verbo & in carne. Item: Hic est panis de cælo descendens, ut si q̄s ex ipso mādu

E. Cor. 10.

Ibidem.

## BERTRAM. DE CORP. ET

cauerit nō moriatur, sed quod per inet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visible sacramen-  
tum. Qui manducat intus non foris. Qui manducat  
in corde, non qui præmit dente. Item in posterioreb<sup>6</sup>  
verbis saluatoris introducens ita dicit: Hoc vos san-  
te*eh.6.* dalizat, quia dixi, carnem meam do vobis mandu-  
care, & sanguinem meum bibere! Si ergo videritis fili-  
um hominis ascendentem ubi erat prius. Quid est  
hoc? Hinc soluit quod illos mouerat, hinc aperuit unde  
fuerant scandalizati. Illi enim putabant cum ero-  
gaturum corpus suum. Ille autem dixit se ascensurū  
in celū, utique integrū. Cum videritis filium hominis ascen-  
dentes ubi erat prius: certe vel tunc videbitis: quia  
nō eo modo quo putatis erogat corpus suum: certe  
vel tunc intelligetis quia gratia eius non consumitur  
*ibidem.* morsibus. Et ait: Spiritus est qui vivificat, caro non  
*com.8.* prodest. Et pluribus interpositis, rursus adiicit: Quis-  
quis autem inquit Ap[osto]l[u]s spiritum Christi non habet, hic  
non est eius. Spiritus ergo est qui vivificat, caro autem  
non prodest quicquid. Verba quae ego locutus sum vobis,  
spiritus & vita sunt. Quid est spiritus & vita sunt?  
spiritualiter intelligenda sunt. Intellexisti spiritualiter  
spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter, etiam sic  
illa spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt. Huius auto-  
ritate doctoris verba domini tractantis de sacra-  
mento sui corporis & sanguinis maniferte docemur, &  
*eh.6.* illa verba domini spiritualiter, & non carnaliter in-  
telligenda sunt. Sicut ipse ait: Verba quae ego loquor  
vobis, spiritus & vita sunt. Verba utique de sua carne  
manducanda, & de suo sanguine bibendo. Inde enim

## SANGVINE DOMINI.

Ioquebatur vnde discipuli fuerant scandalizati. Ergo ut non scandalizarentur, reuocat eos diuinus magister de carne ad spiritum, de corpore a visione ad intelligentiam inuisibilem. Videmus ergo, esca illa corporis domini, & potus ille sanguinis eius, secundum quid vere corpus eius, & vere sanguis eius existunt. Videlicet secundum quod spiritus & vita sunt. Item: Quae idem sunt, vna definitione comprehenduntur. De vero corpore Christi dicitur quod sit verus deus & verus homo. Deus qui ex patre deo ante secula natus, homo qui in fine seculi ex Maria virgine genitus. Hęc autem dum de corpore Christi quod in ecclesia per mysterium geritur dici non possunt, secundum quedam modum corpus Christi esse cognoscitur. Et modus iste in figura est & imagine, ut veritas res ipsa sentiatur. In orationibus quae post mysterium sanguinis corporis Christi dicuntur, & à populo responde tur amen, sic sacerdotis voce dicitur: Pignus aeternae vitae capientes humiliter imploramus, ut quod imagine contingimus sacramenti, manifesta participati one sumamus. Et pignus enim & imago alterius rei sunt, id est, non ad se, sed ad aliud aspiciunt. Pignus enim illius rei est pro quadonatur. Imago illius cuius similitudinem ostendit. Significant enim ista rem cuius sunt, non manifeste ostendunt. Quod cum ita est, apparet quod hoc corpus & sanguis pignus & imago rei sunt futuræ, ut quod nunc per similitudinem ostenditur, in futuro per manifestationem reueletur. Quod si nunc significant, in futuro autem patefacent, aliud est quod nunc geritur, aliud quod in futuro manifesta-

## BERTRAM. DE CORP. ET

bitur. Qua de re & corp<sup>o</sup> Christi & sanguis est, quod ecclesia celebrat sed tanq<sup>ue</sup> pignus, tanq<sup>ue</sup> imago. Veritas vero erit, cū iā nec pignus, nec imago, sed ipius rei veritas apparebit. Item alibi: Perficiant in nobis dñe quesumus tua sacramenta quod continent, vt quæ nunc specie gerimus, rcr<sup>e</sup> veritate capiamus. Dicit q<sup>uod</sup> in specie gerantur ista in veritate, id est, per similitudinem, non per ipsius rei manifestationem. Differunt aut à se species & veritas. Quapropter corpus & sanguis, quod in ecclesia geritur, differt ab illo corpore & sanguine, quod in Christi corpore per resurrectionem, iam glorificatū cognoscitur. Et hoc corpus pignus est & species, illud vero ipsa veritas. Hoc emperatur, donec ad illud perueniatur. Vbi vero ad illud peruentum fuerit, hoc remouebitur. Apparet itaque quod multa intra se differentia separantur, quantum est inter pignus & eam rem pro qua pignus traditur: & quantum inter imaginem, & rem cuius est imago: & quantum intra speciem & veritatem. Videmus itaq<sup>ue</sup> muta differentia separari mysterium sanguinis & corporis Christi quod nunc à fidelibus sumitur in ecclesia, & illud quod natum est de Maria virgine, qd passum, quod sepultum, quod resurrexit, quod ccelos ascendit, quod ad dexteram patris sedet. Hoc namq<sup>ue</sup> quod agitur in via, spiritualiter est accipendum. Quia fides quod non videt credit, & spiritualiter pascit animam & l<sup>e</sup>tificat cor, & vitam præbet æternam, & incorruptionem: dum non attenditur quod corpus pascit, quod dente premitur, quod per partes

## SANGVINE DOMINI.

communitur, sed quod in fide spiritualiter accipitur.  
At vero corpus illud in quo passus est & resurrexit  
CHRISTVS, proprium eius corpus existit, de virgi-  
nis Marie corpore sumptum, palpabile, seu visibile  
etiam post resurrectionem, sicut ipse discipulis ait:  
Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda  
vestra? Videte man⁹ meas & pedes, quia ego ipse sum. Luc.24:5  
Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non ha-  
bet, sicut me videtis habere. Audiamus etiam quid  
beatus Fulgentius in libello de fide dicat: Firmissi-  
me tene, & nullatenus dubites ipsum vnigenitum  
deum verbum carne factum, se pro nobis obtulisse  
sacrificium, & hostiam deo in odorem suavitatis.  
Cui cum patre & spiritu sancto à Patriarchis, à Pro-  
phetis & sacerdotibus tempore veteris testamenti  
animalia sacrificabantur, & cui nunc idem tempore  
noui testamēti, cum patre & spiritu sancto, cum qui-  
bus illi est una diuinitas, sacrificium panis & vini, in  
fide & charitate, sancta catholica ecclesia per vniuersum  
orbem terrae offerre non cessat. In illis enim car-  
nalibus victimis significatio fuit carnis C H R I S T I  
quam pro peccatis nostris & ipse sine peccato fuerat  
oblatus, & sanguis quem erat effusurus in remissio  
nem peccatorum nostrorum. In isto autem sacri-  
ficio gratiarum actio atque commemoratione est car-  
nis C H R I S T I quam pro nobis obtulit, & san-  
guinis quem pro nobis idem deus effudit. De quo  
beatus Paulus apostolus dicit in Actibus apostolo-  
rum capite vigesimo: Attendite yobis & vniuerso

## BERTRAM. DE CORP. ET

gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. In il lis ergo sacrificiis quid nobis esset donandum, figure significabatur. In hoc autem sacrificio quid iam nobis donatum sit, euidenter ostenditur. Dicens q̄ in illis sacrificiis quid nobis esset donandum significabatur, in isto vero sacrificio quid sit donatum commemoretur, patenter innuit, quod sicut illa figuram habuere futurorum, sic & sacrificium figura sit præteritorum. Quibus dictis quanta differentia sit inter corpus in quo passus est Christus, & hoc corp⁹ quod pro eius passionis cōmemoratione siue mortis sit, euidentissime declarauit. Illud namq; proprium & vero nihil habens in se vel mysticum, vel figuratum: hoc vero mysticū, aliud exterius per figurā ostentans, aliud interius per intellectum fidei representās. Ponamus adhuc vnum patris Augustini testimoniu, quod & dicet: fidem nostrorū astruat, & sermonis marginem ponat: In sermone quem fecit ad populu de sacramento altaris, sic insit: Hoc quod videtis in altari dei, iam trāfacta nocte vidistis, sed quid esset, quid sibi veller, q̄ magnæ rei sacramentum contineret, nondum audiatis. Quod ergo videtis, panis est & calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Ch̄ri, calix ē sanguis Christi. Breuiter quidem hoc dictuū est quod fide forte sufficiat, sed fides instructionem desiderat. Dicit em̄ Propheta: Nisi credideritis, non intelligetis. Potestis ergo dicere mihi, præcepisti ut credamus, expone ut intelligamus. Potest em̄ animo cuius

Esa. 6:

## SANGVINE DOMINI.

piam cogitatio talis oboriri. Dominus noster Iesu Christus nouimus vnde acceperit carnem, de virgine scilicet Maria, infans lactatus est, nutritus est, crevit, ad iuuenilem ætatem perductus est, à Iudeis persecutio nem passus est, ligno suspensus est, imperfectus est, de ligno depositus est, sepultus est, tertio die resurrexit, quo die voluit in celum ascendit, illuc leuavit corpus suum, inde venturus est iudicare viuos & mortuos, ibi est modo sedens ad dexteram patris. Quomo do corpus eius & calix vel quod habet calix, quō eius est sanguis? Ista fratres ideo dicuntur sacramenta, qā in eis aliud videtur & aliud intelligitur: quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructū habet spiritualem. Ista venerabilis autor dicens, instruit nos quid de proprio corpore domini, quod de Maria natum, & nūc ad dexteram patris sedet, & in quo venturus est iudicare viuos & mortuos, & quid de isto quod super altare ponitur, & populo participatur, sentire debeamus. Illud integrū est, neq; vlla secti one diuiditur, nec vllis figuris obuelatur. Hoc vero quod supra mensam domini continetur, & figura est, quia sacramētum est: & exterius quod videtur specie habet corpoream, q̄ pascit corpus: interius vero qd intelligitur, fructum habet spiritualem, qui vivificat animam. Et de hoc mystico corpore volens aliquid apertius & manifestius loqui, sic dicit in consequenti bus: Corpus ergo Ch̄ri si vultis intelligere, Apostolum audite dicentem: Vos estis corpus Christi & membra: Si ergo estis corpus Christi & membra, mysterium vestrum in mensa domini positum est, mysteriū

r. Cor. 12.

## BERTRAM. DE CORP. ET

domini accipitis. Ad id quod estis, amen respondeatis,  
& respondendo subscribitis. Audis ergo corpus Christi,  
& respondes amen: Esto membrum corporis Christi,  
vt verum sit amen. Quare ergo in pane? Nihil  
hic de nostro afferamus, ipsum Apostolum dicetem  
audiamus, cum de isto sacramento loqueretur ait:

Vnus panis, vnum corpus multi sumus. Et reliqua:

t. Cor. 10.

Sanctus Augustinus satis nos instruit, qd sicut in pa-  
ne super altare positum corpus Christi signatur, sic etiam  
& corpus accipientis populi: vt euidenter ostendat,  
quod corpus Christi proprium illud existat, in quo  
natus de virgine, in quo lactatus, in quo passus, in  
quo mortuus, in quo sepultus, in quo resurrexit, in quo  
caelos ascedit, in quo patris ad dexteram sedet, in quo  
veniturus est ad iudicium. Hoc autem quod supra mem-  
sam dominicam positum est, mysterium continet il-  
lius, sicut etiam identidem mysterium continet corporis  
populi credentis, Apostolo testante: Vnus panis, vnum  
corpus, multi sumus in Christo. Animaduertat claris-  
sime princeps sapientia vestra, quod positis sanctarum  
scripturarum testimoniorum, & sanctorum patrum dictis  
euidentissime monstratum est, quod panis qui corpus  
Christi, & calix qui sanguis Christi appellatur, figura sit  
quia mysterium: & quod non parua differencia sit in-  
ter corpus quod per mysterium existit, & corpus quod  
passum est, & sepultum, & surrexit. Qui hoc propri-  
um saluatoris corpus existit, nec in eo vel aliquid figura,  
vel aliqua significatio, sed ipsa rei manifestatio con-  
gnoscitur, & ipsius visionem credentes desiderant: qd  
nam ipsum est caput nostrum, & ipso viso satiabitur

## SANGVINE DOMINI

desiderium nostrum. Quoniam ipse & paternum sunt, non secundum quod corpus habet saluator, sed secundum plenitudinem diuinitatis, quæ habitat in homine CHRISTO. At in isto quod per mysterium geritur, figura est non solum proprii corporis Christi, verum etiam credentis in Christum populi. Vtriusque namque corporis, id est, & Christi quod passum est & resurrexit, & populi in Christo per baptismum regnati atque de mortuis vivificati, figuram gestat. Addamus etiam quod iste panis & calix, qui corpus & sanguis Christi nominatur, memoriam representat dominicae passionis, siue mortis, quemadmodum ipse in euangelio dixit: Hoc facite in meam commemorationem. *Mat. 26*, *Quod exponens apostolus Paulus ait: Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, 1. Cor. 11.* mortem domini annuntiabis donec veniat. Doceatur a saluatore, necnon a sancto Paulo apostolo, quod iste panis & iste sanguis qui super altare ponitur, in figuram siue memoriam dominicae mortis ponatur, ut quod gestum est in preterito, presenti reuocet memoriam: ut illius passionis memores effecti, per eam efficiamur diuini muneris consortes, per quam sumus a morte liberati. Cognoscentes quod ubi peruenierimus ad visionem Christi, talibus non opus habebimus instrumentis, quibus admonemus quid pro nobis immensa benignitas sustinuerit. Quoniam ipsum faciem ad faciem contemplantes, non per exteriorem tempora lium rerum admonitionem commonebimur, sed per ipsius contemplationem veritatis aspiciemus, quemadmodum nostrae salutis auctori gratias agere debeamus.

## BERTRAM. DE CORP. ET

Necideo quoniam ista dicimus putetur in mysterio  
sacramenti, corpus dominum vel sanguinem ipsius non  
a fidelibus sumi, quia fides non quod oculis videt, sed  
quod credit accipit: Quoniam spiritualis est esca, & spiritualis  
potus, spiritualiter animam pascens, & aeternae satieta-  
tis vitam tribuens, sicut ipse salvator mysterium hoc  
commendans loquitur: Spiritus est qui vivificat, nam  
caro nihil prodicit. Imperio vestrae magnitudinis pare-  
re cupientes, presumpti parvus rebus de non minimis  
disputare: non sequentes estimationis nostrae pre-  
sumptionem, sed maiorum intuentes autoritatem, qui  
si probaueritis catholice dicta, vestrae meritis fiduci  
deputate: Quae deposita regalis magnificentiae  
gloria non erubuit ab humili querere re-  
sponsum veritatis. Sin autem minus pla-  
cuerint, id nostrae deputetur insipi-  
entiae. Quae quod optauit, mi-  
nus efficaciter voluit  
explicare.

Bertrami de corpore & sanguine  
domini liber explicit.

# DE COR PORE ET SANGVI NE DOMINI DIVI AVGV- STINI SENTENTIA.



OTVM ergo quod oblatione dominici corporis & sanguinis agitur, m̄ysterium est. Aliud em̄ videtur, aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructū habet spiritualem. Sciendum vero est, quod eundem calicem dominici sanguinis iuxta obseruantiam ecclesie catholicæ apostolis traditam, nisi mixtum aqua offerri non licet: quia vnum fiunt in redēptionis nostræ m̄ysterio cum ait: Non bibā amodo de hoc genimine vītis. Et de latere eius quod in lancea transfixum est, aqua cum sanguine egressa, vinum de vera carnis eius vite cum aqua exp̄ressum ostendit. Hæc sunt enim sacramenta ecclesiæ, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille fāguis in remissionem fūsus est peccatorum, aqua illa salutare tēperat poculū: hæc & lauacrum p̄fstat & potum. Hoc totum dominicę oblationis m̄ysterii quā- ga pietate & amore agendum sit, commendat ipse do

Matt. 26

## A V G V S T I N V S

**Matt.** 26 minus dicendo: Hęc quotiescunq; feceritis, in me i me-  
**2. Cor.** 11. moriā facietis. Quod exponēs Apostolus ad Corin-  
thios, ait: Quotiescunq; eñi manducabitis panē hunc  
& calicem bibetis, mortē dñi annuntiabitis, donec ve-  
niat. Illius ergo panis & calicis oblatio, mortis Chri-  
sti est commemoratio & annuntiatio, quae non tam  
verbis, quām iplis mysticis rebus agitur, per quae no-  
stris mēntibus mors illa pretiosa altius & fortius cō-  
mendatur. Quid est enim mortis Christi commemo-  
**Ioh.** 13. ratio, nisi charitatis eius commendatio? quam nobis  
beatus euangelista Iohannes commendans, ait: Scī-  
ens Iesum quia venit hora eius ut transeat ex hoc mun-  
do ad patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mun-  
do, in finem dilexit eos, id est, vscq; ad mortem eum di-  
lectio illa perduxit: quia tantum dilexit eos, ut more-  
retur propter eos. Hoc enim testatus est, dicens: Ma-  
**Ioh.** 15. iorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suā  
ponat quis pro amicis suis. Propterea & iturus ad  
passionem, & per resurrectionis atq; ascensionis glo-  
riam discessurus ē mundo, hoc sacramentum vltimū  
discipulis tradidit, ut memoriam tantę charitatis, per  
quam solam saluamur, arctius eorum mentibus infi-  
geret, quatinus semper memores simus & quales &  
quātum ab eo dilecti sumus, ne de nobis gloriemur  
quantum ut de illo speremus, quod vtruncq; diligē-  
**Rom.** 5. ter Apostolus exponit, & inculcat dicens, Ut quid eñi  
Christus cum adhuc infirmi essemus, secundum tem-  
pus pro impiis mortuus est? Et post paululū dicitur.  
Commendat autem (inquit) suam charitatem deus  
in nobis: qm si cum adhuc infirmi & pctores essemus,

## DE CORP. ET SANG. DOM.

Christus pro nobis mortuus est, multo magis iustificati nūc in sanguine ipsius, salui erim⁹ ab ira per ipm.  
Hoc ergo agendum, hoc frequentandum cōmendauit ecclesiae, quo usq; veniat in fine seculi, qñ erit sanctorum requies, non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore confociatur ecclesia, quandiu bibitur quod de Christi latere manavit: sed iam in ipsa pfectione salutis æternæ cum tradetur regnum deo & patri, vt illa perspicua contemplatione incommutablem veritatis nullis mysteriis corporalibus egeamus  
Erat enim antea secundum ordinem Aaron Iudæorum sacrificium in victimis pecorum, & hoc in mysterio. Nondum namq; erat sacrificium corporis & sanguinis domini: quod fideles norunt & qui euangelium legunt. Quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum per eum, de quo scriptum est. Iu-  
psal.109.  
rauit dominus & non pœnitibit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedechi. Et hoc de domino IESV CHRISTO dictum est: quia voluit esse salutem nostram in corpore & sanguine suo, quæ cōmendauit nobis de humilitate sua. Nisi em̄ esset humilis, non manducaretur, nec biberetur.  
Respice altitudinem ipsius. In principio erat verbū, Ioh.1.1  
& verbū erat apud deū, & deus erat verbū. Ecce cibus sempiternus, sed māducant angeli, māducant supernæ virtutes, māducant celestes spūs, māducāt & sagināt, & integrū manet, qd eos satiat, & letificat. Quis aut homo puenire posset ad illum cibū vñ cor idoneum illi cibos oportebat ergo vt mensa illa lactesceret, vt paruulis proueniret. Vnde fit cibus lac: vnde cibus

# A V G V S T I N V S

In hac conuertitur nisi per carnem traiiciatur? Nam  
mater hoc facit, quod manducat mater, hoc māducat  
infans. Sed quia infans est minus idoneus qui pane  
vescat, ipsum panē mater incarnat, & per humilitatē  
mamillæ in lactis succum, de ipso pane pascit infan-  
tem. Quomodo ergo de ipso pane pascit nos sapi-  
entia dei: quia verbum caro factum est, & habitauit  
in nobis. Videte ergo humilitatem, quia panem an-

Ioh. 1.

psal. 77. gelorum manducavit homo, ut scriptum est: Panem  
cæli dedit eis: panem angelorum māducavit homo,  
id est, verbum istud quo pascitur angeli sempiternū,  
quod est æquale patri, manducavit homo: quia cum  
in forma dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se  
æqualem deo. Saginātur illo angeli, sed semetipsum  
exinaniuit, ut māducaret panem angelorum homo:  
formam serui accipiens, in similitudinem homo fa-  
etus, & habitu inuentus ut homo, humiliavit se fa-  
etus obediens usq; ad mortem, mortem aut crucis: ut  
iam de cruce cōmendaretur, caro & sanguis dñi no-  
num sacrificiū, quando loquebatur dñs noster Iesus  
Christus de corpore suo. Nisi (inquit) quis manduca-  
duauerit carnem meā, & biberit sanguinem meum,  
non habebit in se vitā. Caro enim mea vere est cibus,  
& sanguis meus vere est potus. Intellec̄tus spiritualis  
credētem saluum facit: quia litera occidit: spiritus est  
qui vivificat. Discipuli enim eius qui eum sequeban-  
tur expauerunt, & exhorruerunt sermonem, non in-  
telligentes, & putantes nescio quid durum dicere do-  
minum nostrum Iesum Christum, quod carnem eius  
quam videbant manducaturi erāt, & sanguinem bi-

Ioh. 6.

## DE CORP. ET SANG. DOM.

bituri, & non potuerunt tolerare. Sed ipse cum com-  
mendaret ipsum corpus suū, & sanguinē suum accepit  
in manus suas, quod norunt fideles, & ipse se porta-  
bat quodammodo cum diceret: hoc est corpus meū.  
Quia cum commendat corpus & sanguinem suum,  
humilitatem suam cōmendat. Ipsam enim humilita-  
tem suam, docuit dominus noster in corpore & san-  
guine suo sapientia dei quam videbimus facie ad fa-  
ciem, & omnes videbimus, & nemo zelabit, omni-  
bus se exhibet, & integra est, & casta est omnibus: illi  
mutantur in eam, & ipse in eos non mutatur. Ipse est  
veritas, ipse est deus. Veritas est, verbū dei est, sapien-  
tia dei est, per quem facta sunt omnia, qui dixit. Pote <sup>1oh. 10.</sup>  
statem habeo ponendi animam meā. Ipsa est humili-  
tas dñi nostri Iesu Christi, ipsa multum cōmendatur  
hominibus. Adip̄am nos hortatur, ut viuamus, sicut  
dicitur in Canticis canticoꝝ. Venies, & pertransies.  
Ab initio fidei venturi sumus facie ad faciem, sicut scri-  
ptū est: Dilectissimi filij dei sumus, & nondū apparu-  
it quid erimus. Scimus qm̄ cum apparuerit, similes ei  
erimus: qm̄ videbimus eum sicuti est. Videmus nunc  
per speculum in enigmate, tūc autem facie ad faciem.  
Antequam ergo videamus facie ad faciem, quod vi-  
dēt angeli, opus est nobis accedere adhanc humili-  
tatem, & adhærere huic humilitati, quam commen-  
dat nobis dñs noster Iesus Christus, cum cōmendat  
corpus & sanguinem suum celebrare. Quam humili-  
tatem pro nobis suscipere dignatus ē, cum verbū caro-  
factum est. Accedite ergo ad eum, & illuminamini.  
Accesserunt Iudæi, ut tenebrarentur, accesserunt cū

<sup>1. Cor. 13.</sup>

# A V G V S T I N V S

ad illum, ut crucisigerent. Nos ad eum accedamus, ut corpus & sanguinem eius accipiamus: illi de crucifixo tenebrati sunt, nos manducando & bibendo crucifixum, illuminamur. Ecce genitibus datur crucifixus Christus, vnde accedunt gentes fide sectando, corde inhiando, charitate currando, pedes tui, charitas est, duos pedes, id est, dilectionem dei & proximi habe, ut non sis claudus, & istis duobus pedibus curre ad dominum. Sed dicit aliquis, quomodo ad cu[m] accedo: tantis malis, tantis peccatis oneratus sum, tanta scelera clamat de conscientia mea, quoniam audeo accedere ad eum? quomodo? Si humiliaueris te per paenitentiam, & emundaueris cor tuum. Beati mundo corde: quoniam ipsi deum videbunt. Aufer inde cupiditat[us] sordes, aufer labem avaritie, aufer tabem superstitionum, aufer sacrilegia & malas cogitationes, aufer odia, non dico solu[m] aduersus amicum, sed etiam aduersus inimicum. Aufer illa quae dicunt dominus in euangelio de corde procedere. De cor

Mat. 5.

Mat. 15. de (inquit) enim exeunt cogitationes male, adulteria, fornicationes, immunditia, periuria, falsa testimonia, & reliqua quae coquinant hominem: & age paenitentiam. Paenitentia autem & munditia cordis, facit te accedere ad deum, & recipere stola priorum, quam prodidit regius filius, substania quae a patre suo accepit dissipata, cum meretricibus viuendo luxuriose. Haec autem substancia nobis est a deo accepta. Omne quod viuimus, sapimus, cogitamus, in verba, primum & in dissipatio[n]e huius substancialis stola prodidimus. I. vestes spissas sancti, vestes nuptiales, vestes innocentiae, quam qui non habuerit, non potest regis interesse conuiuio: quam honorabilem conditus

## DE CORP. ET SANG. DOM.

accepit: & à serpente male persuasus perdidit, quamq;  
in baptisme recepimus, sed & post baptismum per  
dignos penitentiae fructus gratiam dei percipimus.  
Et occiditur nobis vitulus saginatus, qui pro pœni-  
tentis immolatur salute, id est, ipse salvator: cuius q̄ti-  
die carne pascimur, crux potamur. Quotidie p̄ fili-  
um recipit, semp Ch̄rs credētibus imolat, de quo d̄:  
Ite, adducite vitulū saginatum. i. prædicate occisum,  
& offerte in suo mysterio immolandū. Et quotidian-  
id est, peccatoribus mortuū credite. Et quotiescum-  
que ei hostiā suā passiōis offertis, toties ad absoluti-  
onem vestrā passione illius reparari confidite. Epu-  
lemur itaq; id est, in remissionem peccatorū nostro-  
rum, carnem & sanguinem eius fideliter credentes su-  
mamus. Igitur sicut scriptum est: Gustate & videte,  
qm̄ suavis est dñs, qui dixit: Nisi quis manduauerit  
carnem meā, & biberit sanguinē meū, non habebit in  
se vitam. Si aut̄ non intellexeris, quomodo non intel-  
lexerunt qui dixerunt: quomodo ipse poterit nobis  
dare carnem suam manducare? Sicut legitur in titulo  
psalmi xxxij. immutabit faciē suam Dauid. i. Chri-  
stus, & recedet à te, & dimittet te, & abierit. Beatus aut̄  
vir qui sperat in eo. Quisquis non sperat in dño mi-  
ser ē, qui sperat in se aut in alio aliquo homine, & ille mi-  
ser est. Vere magnus dñs, & misericordia eius. Vere q̄  
nobis dedit manducare corpus suū: in quo tanta per-  
pessus ē, & sanguinē bibere, q̄ est, ppitiatio p̄ctōr no-  
strōr, q̄a in p̄ctis suis moriunt̄ qui p̄ eū deo nō recon-  
ciliant: & non derelinquet oēs qui sperāt in eū. Iste est  
modus humanae iustitiae, vt iuxta mortalis quantum.

Luc. 15.

plal. 33.

Ioh. 6.

A V G V S T I N V S

libet proficiat, quia sine delicto esse nō potest, in hoc non delinquit, dum sperat in eum, in quo est remissio delictorum, quæ nō sit nisi per sanguinem Christi. Grandis enim maiestas, & grandis potentia est sanguis Christi, quo soluit manum diaboli, & redemit nos de manu ipsius inimici. Quomodo enim sunt aliqua animalia, & stringunt aliquid intra se inclusum, hoc dicunt & medici & physici, ut nisi factum fuerit à se non diuidetur, nec dimittit illud quod intrinsecus clausum tenet. Si autem missum fuerit oleum, statim dissoluitur, & quod strictum fuerat dissipatur, & diuiditur in partes, sic & manum durissimam diabolis soluit sanguis Christi. Nolebat nos dimittere diabolus, sanguinem suum fidit dominum, & sanguinem Christi.

**Esa. 10.** Iungimur illum ructis dominus quasi oleum mileri-  
cordis & per ipsum nos liberavit. De hoc oleo miseri-  
cordiae Christi per Prophetam dicitur: Computrescit  
iugum à facie olei. Sub iugo quippe tenebamur dia-  
bolicæ dominationis, sed vñcti sumus oleo spiritus  
sancti, quo de immaculata virgine conceptus & nat-

**Loh 1.** est Christus , per cuius sanguinem, & à iugo dñationis diabolice sumus redempti, & à peccatis omnibus emundati, vt dicit Iohannes apostolus : Sanguis Iesu Christi filij dei viui, emundat nos ab omni peccato. Sacramentū nanc⁹ dominicæ passionis, & præterita nobis omnia in baptismo pariter pœtā relaxauit, & quicquid quotidiana fragilitate post baptismū cōmisiimus, eiusdem nostri redemptor⁹ nobis gratia dimitit: maxime cum inter opera lucis quæ facimus, humiliter quotidie nostros illi cōfitemur errores, cum sanguinis illius sacramenta percepimus, cum dimittētes

## DE CORP. ET SANG. DOM.

debitoribus nostris nostra nobis debita dimitti pre-  
camur, cum passionis illius memores, libenter aduer-  
sa quęq; toleramus. Fidelis est deus qui non permittit  
nos tentari supra id qd possimus sufferre. Quicquid  
enim homo passus fuerit pro nomine Christi, & pro  
spe vitæ eternæ & permanens tolerauerit, maior ei  
merces dabit. Qui si cesserit diabolo, cū illo condēna-  
bitur. Sed opera misericordiæ cum pia humilitate im-  
petrāt à dño, vt non pmittat seruos suos tētari, plusq;  
possint sustinere. Gustate & videte qm̄ suavis est dñs:  
qm̄ beatus vir q sperat in eo. Et audiamus vera esse,  
magistrū duinū redemptorē cōmendātem nobis pre-  
tiū nostrū, sanguinē suum. Locutus est nobis de cor-  
pore & sanguine suo, cōmendans tales escam & ta-  
lem potū: Nisi manduaueritis carnem meam, & bi-  
beritis sanguinem meum, non habebitis vitam in vo-  
bis. Et hoc dixit de vita. Quis alius q ipse vita: Erit au-  
tem illi homini mors, non vita, qui mendacem putā-  
uerit vitam. Ergo de corpore ac de sanguine suo, de-  
dit nobis salubrem refectionē. Manducant ergo qui  
manducant: & bibant, qui bibunt: esfuriant, & litiant:  
vitam manducant, vitam bibant: illud manduca: refi-  
ceris: sed sic reficeris, vt non deficiat, vnde reficeris. Il-  
lud bibere qd est nisi vivere: māduca vitam: bibe vitā:  
habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem hoc e-  
rit, id est, vita vnicuiq; erit corpus & sanguis Christi.  
Si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veri-  
tate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur.  
Ad istam mensam quis nos inuitauit? & quid præpa-  
ravit? Inuitauit dñs seruos, & præparauit eis cibum

## A V G V S T I N V S

seipsum. Quis audeat manducare dominum suum.  
 & tñ ait: Qui manducat me, & ipse vivet ppter me.  
 Joh. 6. Quando Christus manducat, vita manducatur: nec  
 occiditur, vt manducetur, sed mortuos viuiscat. Qñ  
 manducatur reficit, sed non deficit. Non ergo tñmea-  
 mus fratres mäducare istū panem, neforte finiamus  
 illum, & postea quid manducemus, nōn inueniamus.  
 Manducet Christus: viuit manducatus, quia resurre-  
 xit occisus: nec qñ mäducamus, de illo partes facim'.  
 Et quidem in sacramento sic sit, & norunt fideles  
 quemadmodum manducant carnem Christi. Vnus-  
 quisq; accipit partem suam: per partes mäducatur, &  
 manet integer totus. Per partes manducatur in sacra-  
 mēto, & manet integer in cælo. Manet integer totus  
 in corde tuo. Totus em̄ erat apud patrem, quādo ve-  
 nit in virginem: impleuit illam, nec recessit ab illo. Ve-  
 niebat in carnem, vt eum homines manducarent: &  
 manebat integer apud patrem, vt angelos pasceret.  
 Et quando Christus factus est homo, panem angelo-  
 rum manducauit homo. Mysterium vestrum accipitis, &  
 ad id quod etsis, amen respondetis: & respondendo  
 subscribitis. Audis ergo corpus Christi, & respondes,  
 amen. Vtinam teneat cor, qd dicit os: vtinā habeat fi-  
 des, quod verbo respondes. Esto membrū corporis  
 Christi, vt verē sit, amen. Mysterium pacis vnitatis no-  
 stræ, Christus in sua mensa consecravit. Et quis alias,  
 nisi ipse quotidie in sua mensa consecratur? deus em̄  
 adest verbis suis euangelicis, sine quibus sacramentū  
 non cōsecratur: & ipse sanctificat sacramentum suū.

## DE CORP. ET SANG. DÖM.

¶ facit seipsum, sicut ipse dicit: Hoc est corpus meum  
quod pro vobis tradetur. Sicut enim ad verbum illius  
us ut primum iusserrat, germinat terra herbam vires  
rem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fru-  
ctum iuxta genus suum: & impletur quotidie, quod  
primū dixit: crescite, & multiplicamini. Quæ benedi-  
cō etio etiam nec post peccatum hoī est obolita: ita &  
verba illius qui totus vbiq; est, & semper est, etiam p  
peccatores prolata, in sanctificationē corporis & san-  
guinis illius, per omnes mensas in catholica ecclesia, to-  
to terrarū orbe diffusa, pfectam vim obtinent, conse-  
crandi corpus & sanguinē eis, qui dixit: Accipite &  
manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis  
tradetur. Et accipite, & bibite, hic est sanguis meus,  
qui pro vobis & pro multis effundetur, in remissio-  
nem peccatorum. Hæc quorūcunq; feceritis, in mei  
memoriam facietis. Et sicut siue heretic⁹ siue schisma-  
tic⁹ siue facinorosus quisq; in confessione sancte tri-  
nitatis baptizet, non valet ille qui baptizatus est, à bo-  
nis catholicis rebaptizari: ne confessio vel inuocatio  
ranti nominis videatur adnullari: quia ipse est vt scri-  
ptum est qui baptizat: qui discipulis suis iussit dicens:  
Ite, docete omnes gentes: baptizātes eos in nomine  
patris, & filii, & spiritus sancti. Ita & cuiuscūq; vel q̄lis  
cunq; meriti sacerdos, officiū cōsecrationis sacra-  
mentorum corporis & sanguinis Chri secundum traditionē  
exerceat, ipse est qui eadē sacramēta cōsecrat per ver-  
ba sua, qui dixit: Accipite, comedite: hoc est corpus  
meum, qđ pro vobis tradetur. Accipite & bibite: hic  
est sanguis meus, qui, p vobis & pro multis effundet,

Mat. 16

Gen. 1,16

# A V G V S T I N V S

In remissionem peccatorum. Hæc quotiescumq; feceritis, in mei memoriam facietis. Qui autē accipit mysterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, nō mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnumquenq; si delium corporis sanguinisq; dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur: nec alienari ab illius panis calicisq; cōsortio: & iam si anteq; panem illum comedat & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi cōstitutus, abscedat. Sacramenti quippe illius participatio ne ac beneficio non priuatur, quando ipse hoc quod illud sacramentum viuificat, inuenitur. Et calix ac pa nis Christi non qualibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis. Proinde quod ita non fit, quamuis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis: nisi quod benedicimus, gratiasq; agimus domino in omni munere eius: non solum spirituali, verum etiam corporali. Nam & nos hodie accipimus visibilem cibum: sed aliud est sacramentū, quod præcessit in manna. Hunc panem significauit manna: hunc panem tribuit altare dei. Et bibeant inquit de potu spirituali, sequenti eos petra, petra autem erat Christus. Inde panis, inde potus, petra Christus in signo. Verus Christus, in verbo & carne. Et q modo biberunt? percussa est petra virga bis. Gemina percussio, duo ligna crucis significat. Hic est ergo panis de cælo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Vnde dicit Apostolus: Cap. Cor. 10. lxx benedictionis cui benedicimus: nonne cōmunic a

## DE CORP. ET SANG. DOM.

rio sanguinis Christi est: & panis quem frangimus,  
nonne participatio corporis domini est? Si q̄s man-  
ducauerit inquit dominus ex hoc pane, viuet in æter-  
num, & panis quem ego dabo, caro mea est, pro mū-  
ci vita. Quę caro, quibusdam ad exitium est, sicut exti-  
tit Iude: quibusdam vero ad vitam. Non eo ad exitiū  
extitit Iude: quia malum erat quod accepit, sed quia  
malus Iudas, bonum male accepit. Sacramentū quip-  
pe pietatis, in iudicium sibi sumit indignus: bene ēm  
esse non potest male accipienti, quod bonum est. Ca-  
ro inquit mea, vere est cibus: & sanguis meus, vere est  
potus. Cū vero in cibo & potu id appetant homines,  
vt non esuriant, neq̄ fitiant, hoc veraciter non p̄stat  
nisi iste cibus & potus: qui eos à quibus sumit, immor-  
tales & incorruptibles facit. In hac ēm mystica distri-  
butione spiritualis alimoniae, hoc impertitur, hoc su-  
mitur, vt accipientes virtutem cęlestis cibi, in carnem  
illius qui caro nostra factus est, transeamus: quatinus  
vnum cum illo effecti, à mūdi principe à quo p̄ pecca-  
rum raptifuiimus, non teneamur facti cum illo, qui  
dixit: Venit ēm princeps mundi huius, & in me non  
habet quicq̄. Qui rursum dicit: Qui manducat carnē  
meam, & bibit sanguinē meum, in me manet, & ego  
in eo. Sicut enim verus est filius dei dñs noster Iesus  
Christus, non quemadmodū homines per gratiam,  
sed quasi filius ex substantia patris, ita vera eius caro  
verē est cibus: sicut ipse dixit quam accepimus: & ve-  
rus sanguis eius, est potus. Sed forte dicas, quod dixe-  
runt tunc temporis etiam discipuli Christi, audientes  
dicentem. Nisi quis māducauit carem meam, & bi-

## A V G U S T I N U S

berit sanguinem meum, nō manebit in me, ne habeat  
vitam æternā. Forte dicas, quomodo qui similitudi-  
nem video, non video sanguinis veritatem? Primo  
omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur  
ut possit mutare, & conuertere genera in instituta na-  
turæ: sicut de virga Moysi, quæ mutata est in serpen-  
tem: & rursus in virgam: & flumina Aegypti muta-  
ta sunt in sanguinem: & rursus in aquam: & alia mul-  
ta signa, quæ in scripturis leguntur. Deinde ubi non  
audierunt sermonem Christi discipuli eius, sed audien-  
tes quod carnem suam daret manducare, & sanguini-  
mem suum daret bibendum, recedebant. Solus tamē  
Petrus dixit: Verba virtutæ æternæ habes: & ego à te  
quomodo recedam? Ne igitur plures hoc dicerent,  
veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gra-  
nia redemptiōis, ideo in similitudinem quidē accipis  
sacramentum: sed veræ naturæ gratiam virtutemq;  
consequeris. Ego sum inquit panis viuus, qui de cœlo  
descendi. sed caro non descendit è cœlo. Quomodo  
ergo descendit panis è cœlo, & panis viuus? quia idem  
dñs noster Iesus Christus consors est, & diuinitatis, &  
corporis. Et tu qui accipis carnē diuinæ eius substan-  
tiæ, in illo participaris alimento. Qui manducauerit  
hoc corpus, fiet ei remissio peccatorū: & non morie-  
tur in æternum. Ergo non otiose tu dicas, Amen, iam  
in spiritu cōfidens, quod accipias corpus Christi. Cū  
tu petieris, dicit tibi sacerdos corpus Christi: & tu di-  
cis, Amen, hoc est ver. Quod confitetur lingua, tene-  
at affectus. Cōsecratio ergo quibus verbis est, & cu-  
ius sermōibus, nempe domini Iesu panis est ante yec-

## DE CORP. ET SANG. DOM.

Ha sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pa-  
ne fit caro Christi. Qui pridie quam patet, in san-  
ctis manibus suis accepit panem, respexit ad cælum,  
ad te sancte pater omnipotens æternæ deus, gratias  
agens, benedixit: fregit: fractumq; apostolis & disci-  
pulis suis tradidit dicens: Accipite & edite ex hoc oës:  
hoc est corpus meum, quod pro multis confringe-  
tur. Similiter & calicem, postquam cœnatum est, re-  
spexit ad cælum, ad te sancte pater omnipotens æter-  
næ deus gratias agens: benedixit, & discipulis suis  
tradidit, dicens: Accipite, & bibite ex hoc omnes:  
hic est enim sanguis meus. Vide, illa omnia verba  
euangelistæ sunt, usque ad Accipite, siue corpus, si-  
ue sanguinem: inde verba sunt Christi. Antequam  
consecratur panis & vinum, aqua mixtum est. Vbi  
autem verba CHRISTI accesserunt, corpus & san-  
guis est Christi. Aduertimus igitur maiorem esse gra-  
tiam, quam naturam. Quod si tantum valuit ser-  
mo Heliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit  
Christi sermo, ut species mutet elementorum. De  
totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit & facta  
sunt. Sermo ergo CHRISTI qui potuit ex nihilo  
facere quod non erat, non potuit quæ sunt, in id mu-  
tare quod non erant. Non enim minus est nouas  
res dare, q; mutare naturas. Sed quid argumentis uti  
mur: suis exemplis, incarnationisq; astriuamus myste-  
rii veritatem. Nunquid naturæ vsus præcessit, cum Ie-  
sus dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quæ-  
rimus, viro mixta femina, generare consuevit. Liquec  
d. iij

# A V G V S T I N V S

igitur, quod præter naturæ ordinem virgo generavit. Ex hoc quod conficimus corpus Christi, ex virginie ē. Quid hic queris naturæ ordinē in Christi corpore, cum præter naturam ipse dominus Iesus ex Maria virgine carnem sumplerit, quæ crucifixæ est, quæ sepulta est? Vere ergo carnis illius sacramentum est.

**Mat. 26.** Ipse clamat dominus Iesus: hoc est corpus meum. Ergo didicisti quod ex pane fiat corpus Christi: & quod vinum mixtum aqua in calice, sit sanguis cōsecratione verbi caelestis. Deinde ipse dominus Iesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare? Corpus enim dei, corpus spirituale: corpus Christi, corpus est diuinus spiritus: qui spiritus Christi

**Thre. 4** ut legimus: spiritus ante faciem nostram Christus dominus. & in Petri epistola habemus: Christus pro no-

**g. Cor. II.** bis mortuus est. Et Paulus dicit: Ego em accepi à domino, quod & tradidi vobis: quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam cōmemorationem. Similiter & calicem, postquam coenauit dicens: Hic calix nouum testamentum est, in sanguine meo: hoc facite quotiescumq; bibitis, in meam cōmemorationem. Quotiescumq; em manducabitis panem hunc, & calicē bibetis, mortem dñi annuntiabitis donec veniat. Deniq; cor nostrū esca ipsa confirmat: & potus ipse lætificat cor hominis: ut Propheta memorauit. Cuius spiritualis esca figura, præcessit in manna: de quo qui plus collegit q;

## DE CORP. ET SANG. DOM.

iussum est, amplius non habuit: quia totus Christus  
in singulis, totus in omnibus est. Et huius spiritualis  
potus figura præcessit, cum iussit deus Moysi, ut tan-  
geret petram virga: tetigit petram, & petra vndam  
maximā fudit: sicut Apostolus dicit: Bibeant autē  
de spirituali, consequenti eos petra. Petra autem erat  
Christus. Non immobilis petra, quę populum seque-  
batur. & tu bibe, ut te Christus sequatur. Vide myste-  
rium: Moyses, hoc est petra: virga, hoc est verbū dei.  
Sacerdos verbo dei tangit petram, & fluit aqua: & bi-  
bit populus dei. Tangit ergo sacerdos: redūdat aqua  
in calice: saliet in vitam æternā, & bibit populus dei:  
qui dei gratiam consecutus est. Et unus de militibus  
post mortē Christi, lancea tetigit latus eius, & de late-  
re eius fluxit aqua. Aqua aut̄ ut mundaret: sanguis ut  
redimeret. Hic est qui venit per aquam & sanguinē,  
Jesus Christus. De cuius sponsi carne ecclesia prodi-  
it: quando ex latere crucifixi manante sanguine & a-  
qua, sacramentum redempcionis & regenerationis  
acepit. Et quotidie lauacro rigatur ac poculo: baptis-  
matis scilicet abluta mysterio: crucifixi corpus in ara  
crucis torridum sumens: vnā cum eius cruento roseo  
de latere crucifixi profuso. Aliter enim in sancta ec-  
clesia quæ corpus est Christi, nec rara sunt sacerdotia,  
nec vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate ac veri-  
tatenaturæ, nos verus pontifex reconciliet, & verus  
immaculati agni sanguis emundet: quilibet sit in pa-  
tris dextera constitutus, in eadem tamen carne quam  
assumpsit ex virginē, sacramētum propitiationis ex-  
equitur, dicente Apostolo: Christus Iesus qui mortu-

Rom. 3.

# A V G V S T I N V S

us est, imd qui & resurrexit, qui est in dextera dei, qui  
etiam interpellat pro nobis. Et item Ioannes aposto  
lus. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud pa  
trem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio  
pro peccatis nostris. Et item: Si confiteamur peccata  
nostra, fidelis et & iustus, vt remittat nobis peccata no  
stra: & emundet nos ab omni iniquitate. Habetes ergo  
vt dicit predictor egregius, pontificē magnū, qui pe  
netrauit celos Iesum filiū dei: teneamus confessionē.  
Non em habemus pontificē, qui nō possit cōpati in  
firmitatibus nostris: tentatiū autem per omnia pro si  
militudine absq; peccato. Adeamus ergo cum fiducia  
ad thronū gratiae, vt misericordiā cōsequamur: & gra  
tiā inueniamus in auxilio oportuno: vnde nihil dubi  
rantes, sed corde credentes ad iustitiam, & ore confi  
cientes ad salutem, quando corpus & sanguinem illi  
us sumimus, quod & Petrus quando hinc alij dubita  
uerunt, domino dixit, domino cum Petro dicamus:  
Domine verba vitae æternæ habes: & nos credimus  
& cognouimus, quia tu es Christus filius dei. Cuius  
caro fidelium vita est, si corpus ipsius esse nō negligāt.  
Fiant ergo corpus Christi, si volūt viuere de spū Chri  
sti: de q; non viuit, nisi corpus Chri. Nam escā vitę acci  
pit, & æternitatis poculū bibit, qui in Christo manet:  
& cuius Christus inhabitator est. Qui aut discordat à  
Chri, nec carnē Christi māducat, nec sanguinē bibt  
advitā: etiam si ranta rei sacramentum ad iudicium  
suę p̄sumptionis quotidie indifferenter accipiat. In  
cuius acceptance sequenda est nobis discretio: quam  
sanctum domini Aaron secutum fuisse didicimus; g

e. Joh. 2.

Heb. 4.

Joh. 6.

## DE CORP. ET SANG. DOM.

mente lugubri se non debere sumere sacrificium pro peccato oblatum, nobis ostendit. Dicamusq; humiliatis debitæ confessione: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meū. Quod Apostolus ammonet dicens: ut non iudicium sibi manducet & bibat: quatinus a seipso indicatus per pœnitentiā, non iudicerur a dñō. Quę actio pœnitentiæ tunc erit perfecta & deo acceptabilis, si ascenderit hō ad uersum se tribunal mentis suæ: & constituerit se ante faciē suam, ne hoc ei postea fiat, sicut cōminatur dominus peccatori: atq; ita constituto in corde iudicio, assit accusatrix cogitatio: testis conscientia: carnifex timor: deinde sanguis animæ per lachrymas profluat: postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis domini. Veretur ante oculos imago futuri iudicij: ut cum alij accedunt ad altare dei quo ipse non accedit, cogiter quām sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus alijs vitam æternam, alij iudicium sibi manducant & bibunt. In qua actione pœnitentiæ, magnopere cauēda est antiqui hostis astutia: qui sape cum mens à culpa resipiscit atq; admisum flere conatur, spes ac securitates vacuas ante oculos vocat quatinus vtilitatem pœnitentiæ subtrahat. Modo enim aliorum facta grauiora: modo misericordem deum loquitur: modo adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicet: ut dū p hoc decepta mēs ducitur, ab intentiōe pœnitentiæ suspendat: quatinus tūc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contristant: & tunc plenius obruat, supplicus quæ nunc,

# A V G V S T I N V S

etiam gaudet in delictis. Et memores vindictæ quam  
sunt passi, qui ignem alienum in conspectu domini  
obtulerunt: sicut in Heptatico legitur, prouidendum no  
bis est, ne cum affectu peccandi, vel cum delectatiōe  
peccati, ad altare domini accedamus: ne hoc qđ oñdit  
Apost. in epist. ad Corinthios, incurramus: Ideo inq  
intervos multi infirmi & imbecilles sunt, & dormi  
unt multi. Et postq̄ flāma cuiuscunq̄ pēti & carniſ  
delectatio à corde defebuerit, atq̄ post pœnitētiæ fa  
tisfactionem, sequamur quod de Zachigo publicano

Lue. 19.

in euangelio legimus: quia excepit gaudens dominū  
in domū suam: & fecit ei coniuuiū magnū, cuius do  
mūsumus nos: & cui cogitatio hominis confiteſ: &  
reliquiæ cogitationis diem festum agunt illi. Dies em̄

Pſal. 77. festus dño est, cōpunctio cordis nři cū in lachrymas  
pro amore eius assidue mouerur. Cum igitur redem  
toris nostri corpus & sanguinem accipimus, debem⁹  
nos pro peccatis nostris in fletibus affligere: quati  
nus amaritudo ipsa pœnitentiæ abstergat à mētiis no  
stræ stomacho, peruersę amorē vitæ. Et post oratio  
nis ac cōmunionis tēpora, quantum iuante deo pos  
sumus, in ipso animū suo pōdere & vigore seruemus:  
ne post castigatio fluxa dissoluat: ne vanā menti lāeti  
tia surrepat: vt lucra cōpunctionis anima per incuriā  
fluxæ cogitationis perdat. Sic quippe quod poposce  
rat, Anna obtinere meruit: quia se post lachrymas in  
eodem mentis vigore serauit. De qua nimis scriptū  
est: Vultus eius non sunt amplius in diuersa mutari.  
Quia igitur non est oblita quæ petuit, non est priua  
ta munere quod poposcit.

# DE COR

## PORE ET SANGVI-

### NE DOMINI EX AVGV-

stini sermone secundo de

verbis domini.



V diuimus veracem magistrum,  
diuinum redemptorem, huma-  
num saluatorem cōmendātem  
nobis premium nostrum, sangu-  
inem suū. Locutus est em̄ nobis  
de corpore & sanguine suo, qd̄  
corpus dixit escam, sanguinem  
potum, sacramentum fidelium. Agnoscunt fideles.  
Audientes autem quid aliud quām qui audiūr? Cum  
ergo commendans talem escam & talem potum di-  
ceret, Nisi manduaueritis carnem meam, & biberitis <sup>Ioh. 6.</sup>  
sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis: &  
hoc diceret de vita, quis alias quām ipsa vita erit au-  
tem illi homini mors non vita, qui mēdacet putau-  
rit vitam: scādalizati sunt discipuli eius, non quidem  
omnes, sed plurimi, dicentes apud semetip̄os: Durus  
est hic sermo, quis eum potest audire? Cum aut̄ hoc  
dominus apud semetip̄um cognouisset, & murmur  
ac cogitationes audisset, cogitatibus nec sonantibus  
voce respōdit, vt se auditos esse cognosceret, & talia

## A V G V S T I N V S

cogitare desinerent. Quid ergo respondit? Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hois ascendentē vbi erat prius. Quid sibi vult, hoc vos scandalizat? Patatis quia de hoc corpore quod videris partes facturus sum, & membra mea conscisurus & vobis daturus? Quid si ergo videritis filium hominis ascendentē vbi erat prius? Certe qui integer ascendere potuit, consumi nō potuit. Ergo & de corpore ac de sanguine suo dedit nobis salubrem refectionē, & tam magnam breuiter soluit de sua integritate quæstionem. Manducent ergo qui māducant: & bibant qui bibūt, esuriant & fitiant, vitam manducent, vitā bibant. Illud manducare refici est, sed sic reficeris, vt non deficiat vñ reficeris. Illud bibere quid est nisi viuere? Māduca vitam, bibe vitam, habebis vitā, & integra est vita. Tunc aut̄ hoc erit .i. vita vnicuiq; erit corpus & sanguis Christi: si quod in sacramēto v̄isibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Audiuiimus eñm ipsum dominum dicētem: spiritus est qui viuiscat, caro aut̄ nō prodest quicq;. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt, inquit, quidam qui non credunt. ipsidicebat: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Durus est, sed duris, id est, incredibilis, sed incredulis. Sed vt doceret nos etiam ipsum credere doni esse non metiti. Sicut, inquit, dixi vobis, nemo venit ad me nisi cui datum fuerit à patre meo. Vbi autem hoc dominus dixerit, si superiora euangelij recolamus, inueniemus eum dixisse: Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. Non dixit, duxerit, sed traxerit. Ita

## DE CORP. ET SANG. DOM.

violentia cordi sit non carni. Quid ergo miraris? Crede & venis, ama & traheris. Ne arbitreris istam aspergam molestiamque violentiam, dulcis est, suavis est, ipsa suavitatis te trahit. Nonne ouis trahitur, cum esurienti herba monstratur? Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur: sic & tu veni ad CHRISTVM, noli longa itinera meditari. Vbi credis, ibi venis. Ad illum enim qui vbiq; est amando venitur, non nauigando. Sed quoniā etiam in tali itinere abundant fluctus & tempestates diuersarum tentationū, in crucifixum crede, vt fides tua lignum possit ascendere. Non mergeris, sed ligno portaberis. Sic sic in huius seculi fluctibus nauigabat ille qui dice Gal. 6.  
bat. Mihi aut̄ absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. Mirum est aut̄ q; prædicato Christo crucifixo, audiunt duo, unus contemnit, alter ascendit. Qui contemnit imputet sibi, qui ascēdit non arroget sibi. Audiuit eñ à veraci magistro: Nemo venit ad me, nisi datum fuerit ei à patre. Gaudeat quia datum est, gratias agat danti corde humili, non arrogati, ne quod humilis meruit, superbus amittat. Nam etiam qui iam in ipsa via ambulant, si sibi eam tribuerint & viribus suis, pereunt de illa. Ideo humilitatem docens nos sancta scriptura, per Apostolum dicit: Cum timore & tremore vestram iporum salutē operamini. Et ne sibi aliquid inde darēt q; a dixit, opamini, cōtinuo subiūxit. Deus eñ est qui operat in vobis, & veller opari pro bona voluntate. Deus est q; operat in vobis, ideo cū timore & tremore valle facite, imbrē suscipite, depressa implent, alta siccant. Grā pluia est,

# A V G V S T I N V S

Quid ergo miraris, si deus superbis resistit, humiliis-  
bus autem dat gratiā? Ideo cum timore & tremore,  
id est cum humilitate. Noli altum sapere, sed time.  
Time ut implearis, noli altum sapere ne siccferis. Sed  
iam, inquis, ambulo viam istam, opus erat ut discerē,  
opus erat ut per doctrinam legis scirem quid agerē.  
Habeo liberum voluntatis arbitrium, quis me ab ista  
via separabit? Silegas diligenter, inuenies quendam  
de sua quadam abundantia quam tamen acceperat  
extollere se cōpisse, dominum autem misericordem  
ut doceret humilitatem, quod erat abstulisse: illū ve-  
ro subito in opem remansisse, & misericordiam de re-

**psal. 29.** cōdatione confessum dixisse: Ego dixi in abundan-  
tia mea, non mouebor in æternum. Ego dixi in abun-  
dantia mea. Sed ego dixi, homo dixi: Omnis homo

**psal. 115.** mendax. Ego dixi. Ego ergo dixi in abundantia mea.  
Tanta erat abundantia ut hoc dicere auderem: Non  
mouebor in æternum. Quid deinde? Domine in vo-  
luntate tua præstisti decori meo virtutem: Auertisti  
autem faciem tuā, & factus sum conturbatus. Osten-  
disti, inquit, mihi, quia illud quo abundabam, de tuo  
erat. Ostendisti mihi unde peterem, cui retribuerem  
quod acceperam, cui gratias agere deberem, ad quē  
currerem sitiens unde implerer, & quo impletus es-  
sem ad quem custodirem. Fortitudinem enim meam  
ad te custodiā. Quod te largiente impleam, te serua-  
tore non perdam. Fortitudinem meā ad te custodi-  
ām. Hoc ut ostēderes mihi, auertisti faciem tuam, &  
factus sum cōturbatus. Cōturbat⁹, qā siccatus, siccatur⁹  
quia exaltatus. Dic ergo siccus & aridus, ut rursus im-

## DE CORP. ET SA NG. DOM.

plexaris: Anima mea velut terra sine aqua tibi. Dic, anima mea velut terra sine aqua tibi. Tu em̄ dixeras, non dominus dixerat: Non mouebor in æternū: Tu dixeras præsumens de te, sed non de tuo, & quasi putabas de tuo. Quod ergo dñs dicit: Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Sic Apostolus: Cum timore & tremore, vestram ipsorum salutem operamini. Deus est em̄ qui operatur in vobis. Ergo exultate cum tremore, ne quādō irascatur dominus. Video quā clamando præuenitis. Quid em̄ dicturus sum scitis, clamando præuenitis. Et hoc vnde haberis, nisi quia docuit ad quem credendo venistis? Hoc ergo dicit, audite quād nostis, non doceo, sed cōmemoro prædicando, immo nec doceo, quia nostis, nec cōmemoro quia meministis, sed simul dicamus quod nobiscum teneatis. Hoc dominus dicit: Apprehendite disciplinam & exultate, sed cum tremore, ut semper humiles teneatis quod accepistis, ne quando irascatur dominus, utique superbis sibi quod habent tribuentibus, non illā quo habent gratias agentibus. Ne quādō irascatur dominus, & pereatis de via iusta. Nunquid dixit, ne quando irascatur dñs & non veniatis ad viam iustā? Nunquid ne quando irascatur dñs, & non vos perducat ad viam iustam, aut non vos admittat ad viam iustam? Iam in illa ambulatis, nolite superbire, ne etiā de illa pereatis. Et pereatis, inquit, de via iusta, cum exarserit in breui ira eius super vos, non in longum a Vbi superbis, ibi quod acceperas perdis. His territus homo quasi diceret: Quid ergo faciam? Sequitur, Beati omnes qui confidunt in eum, non in se, sed in eum

# A V G V S T I N V \$

Gratia salvi facti sumus, non ex nobis, sed dei donum est. Forte dicatis. Quid sibi vult quod hoc sepe dicit? Itera hoc, & in tertio hoc, & propter nunquam loquitur nisi quod dicit: Utinam non sine causa dicam: Sunt enim homines ingrati gratiae, multum tribuentes in opere saucitatem naturae. Verum est, magnas arbitrij liberi vires homo cum consideretur, accepit, sed peccando amisit. In morte lapsus est, infirmus factus est, a latronibus semiuiuus in via relatus est, in iumentum suum leuavit eum transiens Samaritanus, quod interpretatur custos, ad stabulum adhuc perduxit. Quid extollitur? Adhuc cura. Sed sufficit, ingratimihi, quod in baptismo acceperim remissionem omnium peccatorum. Nunquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas? Accepi, inquit, remissionem omnium peccatorum. Prorsus vero est, deleta sunt cuncta peccata in sacramento baptismatis, cuncta prorsus, dicta, facta, cogitata, cuncta deleta sunt. Sed hoc est quod infusum est in via, oleum & vinum. Retinetis, semiuiuus in via ille a latronibus sauciatus, quoniam sit consolatus, accipiens oleum & vinum vulneribus suis. Iam vestigia errorieius indulatum fuit, & non sanatur languor in stabulo. Stabulum si agnoscitis, ecclesia est. Stabulum modo quia viuedo transimus, domus erit unde nunquam migrabimus cum ad regnum celorum sani guenerimus. Interim in stabulo libenter cuperemus, non adhuc languidi de sanitate gloriemur, ne nihil aliud subgiendo faciamus, nisi ut nunquam curando sanemur. Benedic anima mea domini, dic animae tuae, dic: Adhuc in hac vita es, adhuc carnem fragilem portas, adhuc corpus quod corrumpitur aggrauat animam: adhuc post integratem resurrectionis accepisti re-

## DE CORP. ET SANG. DOM.

medium orationis: adhuc ut tibi dicas, donec sanentur  
languores tui: Dimitte nobis debita nostra. Dic ergo  
anima tuæ, humiliis vallis, non erectus collis, dic ani-  
mæ tuæ. Benedic anima mea dñm, & noli obliuisci o-  
mnes retributiōes eius. Quas retributiōes? Dic, eni-  
mera, gratias age. Quas retributiōes? Qui, p̄petius sit  
omib⁹ sinigatibus tuis. Hoc factū est in baptismo.  
Quid fit mō? Qui sanat oēs languores tuos. Hoc fit  
mō, Agnosco. Sed qđiu hic sum, corpus qđ corrumpi-  
tur aggrauat animā. Dic ergo & qđ sequitur, Qui redi-  
mit de corruptiōe vitam tuam. Post redemptionem  
de corruptione quid restat? Quādo corruptibile hoc  
induerit incorruptionē, & mortale hoc induerit im-  
mortalitatē, tunc fit sermo qui scriptus est: Absorpta  
est mors in victoria. Vbi est mors contentio tua? Ibi  
recte. Vbi est mors aculeus tuus? Quæris locū eius &  
nō inuenies. Quid est aculeus mortis? Quid ē, vbi est  
mors aculeus tuus? Vbi est p̄ctm? Quæris, & nusq̄ est  
Aculeus em̄ mortis est p̄ctm. Apostoli, nō mea verba  
sunt. Tunc dicetur: Vbi est mors aculeus tuus? Nusq̄  
erit p̄ctm, nec quod te capiat, nec quod te impugnet,  
nec quod conscientiā tuā titillet. Tunc nō dicetur: De-  
bita nřa dimitte nobis: sed quid dicetur? Dñe deus no-  
ster pacem da nobis, omnia em̄ reddidisti nobis. De-  
niq̄ post redemptionē ab omni corruptiōe, quid re-  
stat nisi corona iustitiae? Ipsa certe restat sed etiam in  
ipsa v̄ sub ipsa nō sit caput turgidū, vt recipiat coro-  
nā. Audi, attēde psalmum q̄ nolit coronā turgidū ca-  
put cū dixit, Qui redimet de corruptiōe vitā tuā, q̄ co-  
ronat te, inq̄. Iā huc dicturus erat: Coronat te, merita

## A V G V S T I N V S

mea fatentur, virtus mea fecit hoc, debitum redditur,  
non donat. Audi potius psalmū, nam & hoc tu dicas.  
**O**mnis homo mendax. Audi deus quid dicāt: Qui co-  
ronat te in miseratione & misericordia. De mīa te co-  
ronat, de miserationē te coronat. Non em̄ dign⁹ fuisti  
quē vocare, & vocatū iustificaret, & iustificatū glo-  
rificaret. Reliqꝝ per electionē grā saluæ factæ sunt.  
Si aut̄ gratia, non ex opibus, alioqñ grā iā non est gra-  
tia. Nā ei qui operat̄, merces non imputabili fm̄ grati-  
am, sed fm̄ debitū. Apostolus loquit̄: Non secundum  
gratiā, sed fm̄ debitū. Te aut̄ coronat in miserationē  
& misericordia: & si tua merita p̄cesserunt, dicit tibi  
deus: Discute bona merita tua, & videbis quia dona

**p̄sal. 3.** sunt mea. Hæc est iustitia dei. Quō dī: Domini est fa-  
lūs, non q̄ saluus est dīs, sed quā dat eis q̄s saluos fa-  
cit: sic & dei gratia p̄ Iesum Ch̄m dñm nostrū, iusti-  
tia dei dī, non qua iustus est dīs, sed qua iustificat eos  
q̄s ex impiis iustos facit. Quidā vero, q̄m aliquñ Iudæi  
& Christianos se dici volunt, & adhuc ignorantes dei  
iustitiā, suam volunt cōstituere, etiā temporibus no-  
stris, temporibus apertæ gratiæ, tēporibus nunc reue-  
latæ, prius occultatae gratiæ, nunc in area manifestæ  
gratiæ quæ aliquando latebat in vellere: paucos intel-

**Iad. 6.** lexisse video, plures non intellexisse nequaq̄ tacendo  
fraudabo. Quidā de antiquis iustis Gedeon petuit à  
dīo signū & dixit: Peto domine vt vellus qđ in area  
pono cōpluatur, & area sicca sit. Factū est, cōplutum  
est vellus, area tota sicca erat. Expressit manē vellus  
in peluim, q̄m humilibus dat grā, & in pelui dīs nost̄  
qđ fecerit discipulis suis. Itē petuit alter⁹ signū. Volo

## DE CORP. ET SANG. DOM.

inquit domine, ut vellus siccū sit, area cōfluta. Et hoc factū est. Repete tempus veteris testamēti, gratia oc cultāta est in nube tanq̄ imber in vellere. Attēde mō tempus noui testamenti, discute gentem Iudæor̄, q̄ si vellus siccū inuenies, orbis vero totus tanq̄ illa area plenus est gratia, non occulta, sed manifesta. Vnde multum plangere cogimur fratres nostros, qui non contra occultā, sed cōtra apertā gratiā manifestamq̄ contendunt. Ignoscit Iudæis. Quid Christiani? Quare inimici gratiē Christi? Quare de vobis p̄sumentes? Quare ingratii? Quare em̄ Christus venit? Nunquid natura hic non erat? Natura non erat, quam multum laudādo decipit! Nūquid hic non erat? Sed ait Apo stolus: Si per legē iustitia, ergo Ch̄rs gratis mortuus est. Quod ait Ap̄ls de lege, hoc nos istis dicimus de naturā. Si p̄ naturā iustitia, ergo Ch̄rs gratis mortuus est. Quod ergo dictū est de Iudæis, hoc oīnō in istis videmus. Zelū dei habent, sed non secundū scientiā. Quid est non secundū scientiā? Ignorantes em̄ dei iu stitiā & suam volentes cōstituere, iustitiā dei nō sunt sudicti. Fratres mei, cōparimini mecū. Vbi tales inue neritis, occultare nolite, non sit in vobis peruersa mi sericordia: prorsus vbi tales inueneritis, occultare no lite. Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite. Iam em̄ de hac causa duo cōcilia missa sunt ad sedem apostolicā, inde etiā rescripta venerūt. Cau sa finita est, vt in tam aliquando finiatur error. Ergo vt aduertant monemus, vt instruantur docemus, vt mu tentur oremus. Conuersi ad dominum.

Gala. 4.1

# DE COR PORE ET SANGVI

V316 NE DOM. D. AMBROSII

tertio libro de Sacramentis  
sententia.



Rgo didicisti, quod ex pane cor  
pus fiat Christi: & quod vinum  
& aqua in calicem mittitur: sed  
fit sanguis consecratione verbi  
caelestis. Sed forte dicas: speciem  
sanguinis non video, sed habet  
similitudinem. Sicut enim mortis si-  
militudinem sumpsiisti, ita etiam si  
militudinem pretiosi sanguinis bibis, nullus horror cruo-  
ris fit: & pretium tuum operetur redēptionis. Didicisti ergo  
quia quod accipis, corpus est Christi. Vis scire, quia ver-  
bis caelestibus consecrat: accipe, quae sunt verba. Dicit sa-  
cerdos: Fac nobis hanc oblationē scriptā, rationabi-  
lē, quae est figura corporis domini nostri Iesu Christi: Qui  
pridie quam patere, in sanctis manibus suis accepit panem:  
respexit ad celum, ad te sancte pater omnipotens aeternæ  
deus, gratias agens, benedixit, fregit: fractumque disci-  
pulis suis tradidit dicens: Accipite & comedite ex hoc  
omnes: hoc est corpus meum quod pro multis con-  
fringetur. Similiter & calicem, postquam coenatum est, pri-  
die quam pateretur accepit, respexit in celum ad te sancte  
pater omnipotens aeternæ deus: gratias agens bene-  
dixit & tradidit discipulis dicens: Accipite & bibite  
ex eo omnes: hic est enim sanguis meus. Ergo vide,

## DE CORP. ET SANG. DOM.

Quatis generib⁹ potēs est sermo Ch̄ri, vniuersa cōuertere. Deinde ipse dominus Iesus testificatur nobis, qđ corp⁹ suū accipiamus & sanguinē. Nungd debemus de eius fide & testificatiōe dubitare? Iā redi mcccū ad ppositionē meā. Magnū quidē & venerabile, q̄ manna ludegis pluit de celo. Sed intellige: Quid est amplius māna de cælo, an corpus Ch̄ri? corpus utiq̄ Christi, qui autor est celi. Deinde manna q̄ manducavit, mortuus est: qui aut̄ māducauerit hoc corpus Christi, fieri remissio peccator⁹, & nō morietur in æternū. Ergo non otiose tu dicis amen, iam in spū cōfitens, q̄ accipi as corpus Christi. Et tu dicis amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus. Ut scias aut̄ hoc esse sacramentum, huius figura antē p̄cessit. Deinde quantum sit sacramentum cognosce. Vide quid dicat: Quotiescūq; hoc feceritis, toties mēā memoriā facietis, donec iterū adueniā. Ergo memores inquit sacerdos glorioſissime eius paſtōnis, & ab inferis resurrectiōis, & in celū ascensionis, offerimus tibi hanc īmaculatā hostiā, rationabilē hostiā, incruentā hostiā, hūc panē sanctū, & calicē vitę ēternum: & petim⁹ & pcamur, vt hanc oblationē suscipias in sublimi altari tuo, p manus angelorū tuorū: ficut suscipe dignat⁹ es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium patriarchæ nr̄i Abrahæ: & qđ tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech. Ergo quotiescūq; accipimus, mortem domini annūtiāmus. Si mortē domini annūtiāmus, remissionē peccator⁹. Si q̄tiescūq; effundiā sanguis, in remissionē peccator⁹ funditur, debeo illum semper accipere, vt semper mihi p̄tā dimittantur: qui semper pecco, semper debeo medicinam habere.

# HOMILIA

EVSEBII CAESARI  
ensis episcopi, de corpore & san-  
guine domini.



Agnitudo cœlestiū beneficiorū, angustias humanæ mētis excedit: & ppter ea ita ordinauit diuina puidētia, vt q[uod] in nobis ratiō rex mole victa nō poterat, fides denota cōciperet, & intellectu crudelitas robusta nutrit. Cum ergo per primā transgressionē in Adam origine, morti teneremur obnoxii, prospiciens ex alto deus, in quo essemus genere debitores, iuxta q[ua]litatē captiuitatis, reparauit munus redēptionis i.e. vt p debita morte offerret indebitā: quia nec nos vnde viueremus, nec ille vnde mereret. Materiā de nostra mortalitate suscepit, vt de sua immortalitate collata, mori posset vita p mortuis. Et ideo quia corpus assumptū ablaturus erat ex oculis nostris, & sideribus allaturus, necessariū erat, vt nobis in hac die sacramentū corporis & sanguinis consecraret: vt colere iugiter p mysteriū, qd semel offerebatur in p[ro]ptium: vt q[uod]a q[ua]tidiana & indefessa currebat pro hoīs salute redēptio, ppetuū eēt etiā redēptionis oblatio: & perēnī illa vita visueret in memoria: & semp̄ p[re]sens eēt in g[ra]m. Vere unica & perfecta hostia, fide æstimāda nō specie. Nec exterioris cēsenda est visu, sed interioris affectu. Vnde merito cœlestis confirmat autoritas, quia caro mea

## DE CORP. ET SANG. DOM.

Vere est cibus: & sanguis meus vere ē potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguū: qñquidē qui autor est muneris, ipse etiā testis est veritatis. Nam inuisibilis sacerdos, visibiles creaturas in substantiā corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate cōuerit, ita dicens: Accipite & comedite. hoc est corpus meū. & sanctificatione repetita, Accipite & bibite: hic ē sanguis meus. Ergo ad hūtū sc̄ipientis dñi, repente ex nihilo substiterunt excelsa calor, profunda fluctuū, vasta terrarū. Pari potentia in spūalibus sacramentis, verbi percipit virtus: & regi seruit effectus. Quanta itaq; & q̄ celebranda officia, vis diuinæ benedictiōis operatur. & quō tibi nouū & impossibile esse nō debeat, q̄ i Christi substantiā, terrena & mortalia cōmutantur: te ipsum qui iam in Ch̄fo es renatus interroga: dudum alienus à vita, peregrinus à misericordia, à salutis via intrinsecus mortuus exulabas: subito iniati⁹ Ch̄ri legibus & salutaribus mysteriis inouatus, in corpus ecclesiæ non vidēdo, sed credēdo trāsistī. Et de filio p̄ditionis, adoptiuus dei fieri occulta puritate incurristi: in mēsura visibili p̄manens, maior factus es teipso inuisibili, sine quantitatris augmēto. cum idem atq; ipse es, multo alter fieri fide processibus meruisti. In exteriore nihil additū est: & totū in interiore mutatū est: ac sic hō Ch̄ri filius effectus, & Ch̄rs in hominis mēteformatus est. Sicut ergo sine corporali sensu p̄terita vilitate deposita, subito nouā induit⁹ est dignitatē, & sicut hoc qđ in te deus lēsa curauit, infecta diluit, maculata deterſit, non oculis, sed sensibus sunt credita: ita & cum reuerendū altare cibis satiandus ascēdis, sacram dei tui corpus & sanguinē fide respice: ho-

Mat. 26.

## EVSEBIUS

nore mirare: mente cōtinge: cordis manu suscipe: & maxime haustu interiori assūme. Quod si illius legis māna q̄ legitur, Pluit illis manna ut ederēt. Hoc vni-cuiq̄ sapiebat, qd desideriū concupiscebāt: aliud erat quod sumebat, aliud quod videbatur: suisibilis sapor ille in singulorū sensib⁹ formabatur. At ergo illud legis manna cælitus illapsum, p̄ multimodas suauitatis naturæ suæ meritū, & generis sui excedebat intuitū, & cum creaturā suam dispensatio largitori multiplicitate diuersitate cōdirebat, præbebat gustus, qnod ignorabat aspectus, iuxta p̄cipientis desideriū, esce illi nouitas, & dignitas nascebatur. Vnumquenq̄ variis & alienis saporibus reficiebat, mellifluum pluuiæ illius donum: & multiplex sicci imbris obsequium. Quæ cum ita sint, quod illic auditas faciebat, hic fides facit. Et si in corpore cibus sapiat, in corpore deus credulitati p̄ficiat: sicut legimus: Accedit hō ad cor altū, & exaltabitur deus. Ideo quod tibi delectatio obtingebat in fauibus, hic bñdictio op̄gatur in sensib⁹. Ad cognoscendum & p̄cipiendum sacrificiū veri corporis, ipse te robur & potentia cōsecrantis inuitat. Qui runc latuit p̄figuratus in manna, est tibi manifestatus in gloria & gratia. Ipsum aut̄ suis manna illius speciem p̄esignatum, etiam Propheta euidenter ostendit dicens: Panem angelorum manducauit homo, p̄nem cæli dedit eis. Et quis panis angelorum est, nisi Christus: qui eos cibo suæ charitatis exatiat, hunc panem dicente Propheta, sexta die duplum colligas: sabbato autē non colliges: dum à primo i. à dominico die in lege tribuitur, & in solo sabbato denegatur. Iā tūc Christus ab ecclesiā cui dominicū diē resurrectio

Exo. 16.

## DE CORP. ET SANG. DOM.

cōfcreauit, recipiēdus oñditur: & synagogē ad quam cultus sabbaci ptinebat, negādus esse phibetur: dum dies iste. i. dies septim⁹, c̄lesti panis fraude mutilatur. De q̄ pane verus narrat historia: Nec q̄ plus college-  
rat habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus, eo q̄ eucharistiae sacra pceptio, non in quanti-  
tate, sed in virtute consistat. Quod corpus sacerdote  
dispensante t̄m est in exiguo, quantū esse cōstat in to-  
to. Quod cum ecclesia fidelium sumit, sicut plenū in  
vniuersis, ita integrum probatur esse in singulis. De  
quo sensu apostolica sententia deriuata est dicēs: Qui  
multum habet, non abundat: & qui modicum, non  
minorabit. Si forte esum panis esurientibus appone-  
remus, non ex toto perueniret ad singulos: quia par-  
ticulatim & minutatim proportiōe sua vnuſquisque  
præsumeret. De hoc vero pane cum assumitur, nihil  
minus habent singuli quam vniuersi: totum vnuſ, to  
tum duo: totum plures sine diminutione percipiunt:  
quia benedictio huius sacramenti scit distribui: ne-  
scit distributione consumi. Sacramenti itaque hu-  
ius formam, in Iudæorum paginis inuenimus expre-  
sam. Nam & de Melchisedech cuius genealogia, vel or-  
igo dicitur ignota, in Genesi legimus: Et Melchise-  
dech rex Salem, protulit panē & vinū & bñdixit A-  
brahæ. Melchisedech autē fuit sacerdos dei summi: dū  
à pputio. i. à gētili, cīcuncisio futura benedicitur: ec-  
clesię gloria prædicatur: & synagogē infideli plebs ex  
gētibus exq̄sita, preponitur. Hic ergo Melchisedech  
cuius genealogia vel origo notitiam illius tēporis la-  
uit, oblatione panis & vini, hoc Christi sacrificium  
præsignauit. De q̄ Propheta, p̄nuntiat. Tues sacerdos

Gen. 14,

## AMBROSIUS

in eternū, fīm ordinē Melchisedech. Nā & beatus Mo  
yſes de eo mysterio loquēs, vīnū & sanguinē sub vna  
appellatione significat: in benedictione Patriarchæ,  
dominiā passionem multo antē demōstrante ita in-  
**Gen. 4,9** quiēs: Lauabit in vīno stolam suā: & in sanguine vuæ  
pallium suū. Adnerte q̄ euidenter constet vīni creatu  
ram, Christi sanguine nuncupandā. Quid adhuc de  
hac duplii specie ingrere debeas, ipso dñō attestante  
cognosce: Nisi ingt māducaueritis carnē filiō hoīs, &  
sanguinē biberitis, nō habebitis vitā in vobis. Quod  
testimonīū, cōtra Pelagijs blasphemias, euidentissimū  
atq̄ validissimū est: q̄ assērere arrepta impietate pre  
sumit, nō prop̄ vitā, sed propter regnū celorū baptis  
mū paruulis conferendū. Sub his cīm verbis dei quib⁹  
euangelista p̄nuntiat, non habebitis vitā in vobis,  
aperte intelligenda est omnis anima munere baptis  
mi vacua, non solū carere gloria, sed vita. Hoc itaq̄  
dominiā sanguinis vīnū, aqua miscendū esse, non so  
lū traditiōe dñs, sed etiā ipso genere passionis ostēdit  
ex cuius sacro latere, sanguis & aqua lancea illisſione  
perfluxit, sicur & Propheta multo antē prēcinit dicens:  
Percussit petrā, & fluxerūt aquæ. Et Apost. Bibebat  
**Psl. 77** inquit de spūali cōsequenti eos petra: petra autē erat  
**Cor. 10**. Chīs. Vides igitur q̄ qui de Chīi biberit gratia, seque  
tur eū Christi mīa. Sed & in Salomōe de ipso deo p̄di  
**pro. 9**. Etū legimus: Sapientia inquit edificauit sibi domū, i.  
corp⁹ hoīs assumpſit, in q̄ habitauit plenitudo diuini  
tatis. Et subeldit columnas septē: quia illū benedictio  
spūs sancti, gratia septiformi impleuit. Mactauit ho  
stias suās, miscuit in cratera vīnū suum, & parauit mē  
sam suā. Et in sequenti: Venite & edite de meis panī

## DE CORP. ET SANG. DOM.

bus: & bibite vinū quod miscui vobis. Admixtū ergo aqua vinū legimus: nūc causam cur virumq; dominus misceri voluerit, inquiramus: quādo in Iudeorū cōiuīo nuptiale vinū, id est fides iu eis deficiebat. Vīnū inquam deficiebat, quia vineæ fructū negabat, de qua dicit: Expectavi ut faceret vnam: fecit aut spinas. Vnde & certū spineū capiti redēptoris imposuit: Quādo siquidē dominus nuptiali tempore, id est quando sponsus ecclesia suæ Paschali exultatione iungendus aquā in vinū cōuertit, manifeste præfigurabat multitudines gentiū, de sanguīnī sui gratia esse vēturas. Per aquas aut populos significari, sacris aperit eloquijs: si cut legimus: Aquas istas quas vidisti, populi sunt, & gentes & lingua. Aduertimus in aquis figurā gētiū demōstrari in vino autē, sanguinē dominicæ passio-  
nis ostendi. Ac sic dum in sacramentis vino aqua mi-  
scetur, Christo fidelis populus incorporatur & iungi-  
tur: & quadā ei copula perfectæ charitatis vnitur: vt  
possit dicere cum Apost. Quis nos separabit à chari-  
tate Christi: tribulatio, angustia, an persecutio, & re-  
liqua. Deus autē homini suscepta sanctificatiōe mi-  
scetur, quādo fides in ipso pectori, affectu iustitiae, mi-  
sericordiae, pietatis, infunditur: etiā in hoc ipso quod  
numerosis tritici granis confici nouimus, vnitatē cō-  
stat assignari populorū. Sicut enim frumentum qd soli-  
ta purgantis solitudine præparatum, incandidā spe-  
ciē molarē labore perficitur, ac per aquā & sanguinē,  
in vnius panis substantia congregatur, sic varie gen-  
res diuersęq; nationes, in vnā fidem cōuenientes, vnu  
de se corpus Christi efficiunt: & Christianus populus  
quasi tritici innumerabilia milia, à sacrilegis nationi-

Rom. 8.

## E V S E B I V S

bus fide purgante atq; cibrante, secernitur: & in vi-  
num quasi infidellum lolio pertransiente colligitur:  
& duorum testamentorum instructione, velut fru-  
mentum gemino molarum opere curatum, nitescit,  
& in illam primæ originis dignitatem nativo cando-  
re mutatur: ac per aquam baptisimi vel ignem spiri-  
tus sancti, æterni illius panis, corpus efficitur. Sicut  
ergo se partiri grana ab illius confecti panis adunati-  
one non possunt, & sicut aquam in vino permixtam,  
iam ad propriam redire substancialm non posse cerni  
mus, sic & fideles quicq; atq; sapientes, qui redemptos  
se Christi sanguine sciunt, ita debent quasi inseparabi-  
lia membra capiti suo fidei conseruatione, & arden-  
tissima religione sotriari, vt ab eo non voluntate, non  
necessitate seiungi, non vlla terrenæ spei ambitione,  
non deniq; ipsa possint morte diuelli. Nec dubitet qd;  
quam primarias creaturas nutu potentia, præsentia  
maiestatis, in dominici corporis transire posse natu-  
ram, cum ipsum hominem videat artificio celestis mi-  
sericordia, Christi corpus effectum. Sicut autem qui-  
cunque ad fidem veniens, ante verba baptisimi adhuc  
in vinculo est veteris debiti, his vero commemora-  
tis, mox exiuit omni sece peccati, ita benedicendæ  
verbis cælestibus creature, sacris altaribus imponū-  
tur: antequam in vocationem summi nominis con-  
secrantur, substancialia illuc est panis & vini: post verba  
autem Christi, corpus & sanguis est Christi. Quid  
autem mirum est, si ea quæ verbo potuit creare, ver-  
bo possit creata conuertere? imo iam minoris vide-  
tur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur con-  
cidisse, iam conditum in melius valeat commutare.

## DE CORP. ET SANG. DOM.

Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit visibilia & inuisibilia voluntatis imperio suscitare: cui facile fuit hominem de limi materia figuratum, imaginem etiam suæ diuinitatis induere. Cui promptum est eum rursum reuocare ab inferis: restituere de perditione: reparare de puluere: de terra in cælum leuare: de homine angelum facere: corpus humanum conforme corpori claritatis suæ reddere: & figuratum suum in regni sui cōsortio sublimare: ut qui corpus fragilitatis nostræ assumpserat, nos in corpus suæ immortalitatis assumat: ad quam gloriosam resurrectionem piis nos operibus præparare dignetur, qui regnat in secula seculorum.  
Amen.

## ERRATVM.

**Columna 12. quaternionis c. linea prima**  
lege, in lac, pro in hac,

Superbis deus resistit, humilibus autem dat gratia,



Parcere subiectis & debellare superbos.













































